

## DISPUTATIO XLII.

*De beneficiis Ecclesiasticis.*

**B**eneficium latissimè acceptum prout derivatur à benefaciendo significat quamcunque gratiam alteri factam. Strictius verò acceptum est jus fruendi aliquā re immobili ob servitium præstandum alteri à Domino concessum, quod servitium si sit temporale est beneficium sacerdotiale, quod vocatur feudum, de quo legistæ in libris feudorum canonistarum verò in lib. 3. decretal. tit. 20. agunt. si verò illud servitium sit spirituale, ut legere missam, recitare horas, administrare Sacra menta, vocatur beneficium Ecclesiasticum, cuius consideratio licet fusissima sit, ex principiis canonicis pro coronide hujus partis subnectitur, præter ea, quæ alibi jam dicta sunt, videlicet Disput. XXIII.

## QUÆSTIO I.

*Quid & quotuplex sit beneficium?*

**S**uppono: Quod hæc duo differant: canonia, sive canonicatus, & præbenda: Canonia importat jus quoddam spirituale, quod alicui competit ad stallum in choro & vocem in capitulo, ita ut amplius nil dicat, quam facultatem exercendi spirituale officium. Præbenda verò dicit jus percipiendi redditus, quod si fundetur in aliquo titulo temporali v. g. pro labore ædifici, advocati, dicitur præbenda temporalis; si verò supponat titulum spirituale alicujus ministerii vel functionis sacræ, dicitur præbenda spiritualis & hæc nomine beneficij importatur.

DICO I. *Beneficia ecclesiastica . . nullo modo possunt esse sine spiritualibus S. Th. hic Q. 100. A. 4. O.*

Probatur: quod fundatur in obligatione ad functiones spirituales non potest esse sine spiritualibus;

2.2. *Theol. Schol. Pars poster.*

Ss      sed

sed beneficia Ecclesiastica fundantur in obligatione ad functiones spirituales: cum beneficia ad divinū cultum, atque Ecclesiastica munia sint constituta T. id. less. 21. de cap. 3. de reform. ex quibus formatur hæc beneficii definitio: Jus spirituale perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ ratione spiritualis officii authoritae Ecclesiasticâ constitutum. *Dicitur* 1. Jus: non enim in fructibus, nec in officio seu ministerio spirituali, aut in obligatione ad illud, quæ potius est fundatum & radix beneficii, sed in Jure ad redditus temporales propter ministerium spirituale ratio beneficii consistit. *Dicitur* 2. Spirituale, non quidem intrinsecè sed tum antecedenter: quia Jus percipiendi fructus temporales respicit antecedentem obligationem & Jus exercendi ministerium spirituale; tum consequentet: quia tam in recipiente quam conferente beneficium supponit clericatum & ideo nec à laico possideri nec conferri potest. *Dicitur* 3. Perpetuum: tum quod semper maneat, ut vacans per mortem, depositionem vel translationem beneficiati, sit alteri conferendum; tum quod regulariter non detur ad tempus, sed in titulum perpetuum, quamdiu beneficiatus vixerit, & in quâ Ecclesia qualibet titulatus est, in ea perpetuo perseveret can. 2. Dist. LXX. ut etiam propter incurabilem morbum sine culpâ contractum, ut eidein cedat, compelli non possit aut debeat, ut inquit Innoc. III. in cap. penult. de cler. & grot. lib. 3. tit. 5. & est quasi vinculum matrimonii spiritualis latè dicti inter beneficiatum & Ecclesiam, cui beneficiatus per titulum beneficii est perpetuo copulatus. *Dicitur* 4. Percipiendi fructus, quos beneficiatus facit suos, licet bona immobilia, ex quibus tales fructus proveniunt, sunt & maneant sub dominio Ecclesiæ. *Dicitur* 5. Ex bonis Ecclesiæ id est Deo perpetuo dicatis; ideo

ordinatus titulo patrimonii non est beneficiatus, quamvis enim tunc illius ordinati patrimonium sit destinatum ad sustentationem ministri Ecclesiae, ita ut quamdiu ordinato non est aliter provisum, illud patrimonium alienari, aut ad alios usus converti nequeat, manet tamen in bonis sacerdotalibus & mortuo ordinato transit ad heredes. *Dicitur 6.* Ratio ne spiritualis officii, non ut illius pretium, sed in sustentationem beneficiati, ut ille a cura & sollicitudine circa temporalia liber illo officio fungatur; propter spirituale enim officium beneficium Ecclesiasticum datur, ut inquit Bonif. VIII. in cap. fin. de rescript. in 6. lib. 1. tit. 3. *Dicitur 7.* Authoritate Ecclesiastica constitutum; licet enim locus beneficij nempe aliqua Ecclesia aut capella aut altare, cuius servitio beneficiatus deputatur, sit designatus; nempe sufficientia bona ad alimenta beneficiati, facta tecta Ecclesiae vel altaris conservanda & pro necessariis impensis v. g. luminum & sacrae suppellecilia sunt oblata, etiam leges fundationis sunt positae (quæ omnia sunt materialia ad erectionem beneficij requiri-  
ta) attamen, nisi accedit authoritas Ecclesiastica, quæ in beneficiis majoribus nempe Episcopatibus & Episcopatu altioribus competit soli summo Pontifici, in aliis vero minoribus nempe Episcopatu inferioribus competit Episcopo, nondum est beneficium Ecclesiasticum.

*Ex quibus omnibus infertur 1.* Quod nec solum jus ad spirituale officium nec solum jus ad temporales redditus constituat beneficium propriè dictum, sed utrumque simul ad beneficium requiratur, unde Canonici, qui nondum habent præbendam sive quorum canonica nondum est conjuncta cum præbendâ vel competente portione fructuum Canonicalium, non habent beneficium Ecclesiasticum, quia nondum habet talis C-

nonicus jus ad redditus temporales, tales Canonici nec-  
dum præbendati in Cathedralibus Germaniæ vocantur  
Canonici domicellares, in aliquibus Ecclesiis Canoni-  
cus supernumerarius, qui præbendam nondum habet,  
sed exspectat, vocatur præco.

*Infertur 2.* Quod omnia illa jura ad obtainendos re-  
ditus temporales etiam juncto officio spirituali non sint  
beneficia strictè dicta, in quibus aliqua ex prædictis  
conditionibus deficit; unde ut plura talia, quæ possunt  
dici, beneficia impropiè talia, & ea, quæ ad illa pertain-  
tent, melius exponantur, antequam beneficiorum pro-  
priè dictorum divisiones attingantur, sit

§. I.

*De beneficiis impropiè dictis.*

Beneficia impropiè dicta sunt: vicaria, commen-  
da, coadjutoria, præstimonium, pensio, de quâ su-  
prâ Disput. XXIII. Q. III. beneficium manuale, ca-  
pellania.

In modo Vicaria temporalis non est beneficium propriè  
dictum defectu perpetuitatis; *Dixi:* temporalis: quia  
vicaria, quæ est facultas in vicem alicujus Ecclesiæ Re-  
ctoris administrandi officium beneficio injunctum, est  
duplex: alia est perpetua, quæ confertur cum Cano-  
nicâ institutione, seu investiturâ ac erectione tituli vi-  
cariæ, aut quando alicui capitulo, monasterio aut dig-  
nitati beneficium aliquod vel Ecclesia incorporatur, &  
talis vicaria est verum beneficium Ecclesiasticum, qua-  
re jura de beneficiis curatis disponentia etiam de vicariis  
illis sunt intelligenda: ait enim Clemens V. in Clem.  
un. de off. vicar, lib. I. tit. 7. *Quæ de Ecclesiis curam*  
*animatorum habentibus per receptionem aliarum simi-*  
*lium amittendis, ac de ipsarum Rectoribus promo-*  
*vendis ad sacerdotium & de eorum etate à jure statuta*  
*noscuntur, in perpetuis Ecclesiarum Parochialium vi-*  
*cariis & assumpsis ad eas volumus observari.* Et talis

Vi-

Vicarius semel legitimè institutus amoveri non potest, nisi propter delictum dignum depositione & privatione beneficij Cap. ad hæc 3. de officio Vicarii Lib. I. tit. 28. Alia est vicaria temporalis, in quâ Vicarius est ad nutum amovibilis.

**Q.** Quomodo & in quibus casibus possit constitui Vicarius temporalis?

**R.** Cum titulo etiam perpetuitatis se tenentis ex parte beneficij duntaxat constitui potest authoritate ordinarii, potest autem citrâ titulum ejusmodi quisque Parochus ob suam absentiam aliudve impedimentum brevi tempore per 15. scil. dies absque licentia ordinarii sibi designare Vicarium, sed per longum tempus minimè id facere posse colligitur ex cap. cum ex eo 34. de elect. in 6. In quo de tempore, quo licebat Parochis studiorum causa abesse: *Predicto septennio durante iidem Episcopi & superiores sollicitè providere procurant, ut per bonos & sufficientes Vicarios ab eis in hujusmodi Ecclesiis deputandos animarum cura diligenter exerceatur & deserviatur laudabiliter in divinis: licet ad talem deputationem non requiratur consensus Patroni.* Vacante quoque beneficio curato, usque dum providebitur de Rectore, ab ordinario designandus est Vicarius cuin assignatione congrua portionis, sicut etiam designatur Vicarius temporalis, quando duas Ecclesias parochiales æquè principaliter uniuntur, cum enim illarum Rector non possit utriusque personaliter deservire, debet pro alterâ designare Vicarium ex Can. & temporis 48. Caus. XVI. Q. 1. Cap. 1. Ne sede vacant. lib. 3. tit. 9. In quo agitur de monasterio eretto in Collegium Cathedrale unito alteri Ecclesiæ Cathedrali. Debet præterea Vicarius constitui à Rectori impedito assistere beneficio, & quidem si beneficium curatum annexitur mensæ capitulari vel Episcopi, solet plerumque deputari temporalis duntaxat Vicarius secundum

Glossam & Canonistas in Clement. 1. de rescript. lib. 1. tit. 2. Et Clement. 1. de suppl. negligent. Prælat. lib. 2. tit. 5. Si ut etiam raro designatur Vicarius perpetuus in beneficio simplici unito alteri Ecclesiæ juxta Glossam & Canonistas in Clement. un. de off. Vicarii. Insuper in monasteriis & Conventibus Regularium seu Cathedralium atque Collegiarum Ecclesiastum Capitulis, quibus ex primæva sua institutione est annexa cura animarum, regulariter non est obligat o constitueri Vicarium perpetuum, sed sufficit aliquem designare ad nutum amovibilem, qui tamen ex constitutione Concilii Trident. sess. 7 cap. 7. de reform. & sess. 25. de Regularibus Cap. 12. subjicitur Episcopo quoad examen, approbationem, curam animarum, Sacramento rumque administrationem, ita ut possit visitari ab Episcopo. Formalia Trident. quoad vicarios à Regularibus in exercitio curæ animarum deputandos bene notanda in Cap. 12. cit. sunt: *in monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus inaminet animarum cura personarum secularium præter eos, qua sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia personæ tam regulares, quam secularis, hujusmodi curam exercentes subsunt immediatè in iis, qua addictam curam & Sacramentorum administrationem pertinent jurisdictioni visitationi & correctioni Episcopi, in cuius Diœcesi sunt sita.* Nec aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de eiusdem consensu ac prævio examine per eum aut ejus vicarium faciendo.

2. *Commenda* deficit à ratione beneficii propriè dicti quia non fundatur in titulo spiritualis officii perpetuo: hic autem non intelligitur nomine commendæ bonum aliquod immobile, quod religiosis Ordinis Melitensis, qui commendatores appellantur, datur administrandum, sed custodia alicui commissa juxta Gloss. in Cap. nemo 15. de elect. in 6. lib. 1. tit. 6. V. commendare

Ubi

Ubi addit de commendatario: nec in Ecclesia jus habet, nec etiam in fructibus, nisi ad colligendum & gubernandum & providendum sibi & ministris: & quod superest in utilitatem Ecclesiae convertendum. Commenda alia est temporalis & in favorem Ecclesiae, de qua Cap. nemo i 5. cit. *Nemo deinceps parochiale Ecclesiam alicui non constituto in aetate legitima & sacerdotio commendare presumat, nec tali etiam nisi unam, & evidenti necessitate vel utilitate ipsius Ecclesiae suadente.* Hujusmodi autem commendam ritè factam declaramus ultrà semestris spatium non durare. Tali commendatario solum incumbit colligere & custodire fructus Ecclesiae, ex iisque sibi & ministris Ecclesiae providere. Alia commenda est perpetua, & in favorem personæ, quæ fit alicui personæ, quæ de se est inhabilis ad tale beneficium propter meritum personæ, ut ex fructibus beneficii ejusdem sustentari valeat, & hæ commendæ habent rationem ac effectum tituli ac æquiparantur beneficiis propriè dictis, ità ut sicut beneficiarius facit fructus beneficii suos, elocare potest possessiones Ecclesiae, eligere, præsentare, conferre titulo beneficii, ità & talis commendarius, ac ità in materiâ adaptabili disposita de beneficiis obtentis in titulum (salvâ differentiâ) intelliguntur disposita de beneficiis in favorem personæ commendatis v.g. quoad pluralitatem ut colligitur ex Trid. sess. 7. cap. 2. & 4. & sess. 24. cap. 17. de refor. ubi prohibetur quis habere plura beneficia etiam commendata: hoc est: unum in titulum & alterum in commendam.

3. Coadjutoria non est beneficium: quia titulus beneficii manet in coadjuto & est tantum facultas alicui concessa ad beneficiatum in suo regimine adjuvandum, unde licet exercitium illius officiū, quod beneficio annexum est, tributatur coadjutori, jus tamen & titulus est penes coadjutum.

*Q. 1. Quotuplex fit coadjutoria?*

*R. Est duplex alia est perpetua cum futura successione, quæ non exspirat per mortem coadjuti, sed sine novâ collatione plenum sortitur effectum, ut titulus jam in ipiat vi prioris concessionis in coadjutores, alia est temporalis, quæ datur in favorem coadjuti & Ecclesiae, & exspirat morte naturali vel civili coadjuti.*

*Q. 2. A quo & qualiter possit dari coadjutoria?*

*R. Coadjutoria temporalis à quovis Prælato ecclesiastico dari potest ob causam necessitatis in Ecclesia ipsi subjecta, coadjutoria vero perpetua à solo summo Pontifice & quidem Con. Trid. Sess. 25. de reform. cap. 7. cum vetusset accessum & regressum ad beneficia, de coadjutoriis pergit: in coadjutoriis eum futura successione idem posthac observetur, ut nemini in quibusunque beneficiis permittantur. Excipit Ecclesiæ cathedrales & monasteria his verbis: quod si quando Ecclesiæ cathedralis aut monasterii urgens necessitas aut evidens utilitas postuleret, Prælato dari coadjutorem; is non alias cum futurâ successione detur, quam hac causa prius diligenter à sanctissimo Pontifice sit cognita. Unde de jure ordinario tantum in cathedralibus & monasteriis à summo Pontifice dandæ coadjutoriæ perpetuæ.*

*4. Præstimonia ( quo nomine intelliguntur certi reditus ex beneficio extracti in sustentationem juvenum, ut vel litteris vacent vel infidelibus inferant bellum ) non sunt beneficia: quia non habent annexum officium; quod si habent annexum, & dentur in titulum perpetuum, qui per obitum eundem ac tu obtinentis vacet, numerantur inter beneficia propriè dicta, eodem modo præbendæ canonissarum in collegio utriusque sexus, licet sint materia simoniæ, inducant obligationem gravem recitandi horas canonicas, & si clanculum matrimonium*

contrahant, & his redditibus frui pergent, obligentur ad restitutionem, non tantum sunt beneficia propriè dicta : cum fœminæ sint incapaces propriè di-  
ctorum beneficiorum.

5. Defectu hujus perpetuitatis ex parte beneficia-  
ti etiam à ratione stricti beneficii deficiunt benefi-  
cia manualia, quæ non conferuntur alicui in per-  
petuum vel ad tempus vitæ, sed ad nutum confe-  
rentis vel ejus hæredum, hoc est ad liberam & ab-  
solutam non necessariò regulatam voluntatem, ita  
ut etiam absque causa possit validè amoveri benefi-  
ciatus, dummodo cesseret malitia, quæ non præsu-  
mitur, licet, si talis amotio careret honesto fine &  
fieret sine omni utilitatis vel necessitatis causa, foret  
illicita, talis igitur, qui habet dispositionem de  
manuali beneficio, si nulla sit suspicio de malitia  
aut animo injuriandi, non tenetur allegare causam  
quare beneficiatum amoveat, in dubio nulla bene-  
ficia sacerdotalia censentur manualia, sed perpetua,  
nisi aliud exprimatur in fundatione, vel ex legitima  
consuetudine habeatur. Econtra omnia beneficia  
regularia censentur manualia, nisi sint electiva vel  
curata. Licet autem beneficia manualia in rigore  
non sint beneficia, attamen in materia favorabili  
veniunt nomine beneficij:

6. Capellaniæ sive fundationes absque ordinarii  
authoritate factæ, quales plures solent esse in Eccle-  
siis parochialibus plurium locorum, non sunt benefi-  
cia nec tituli ordinationum, sed piæ aliquæ donatio-  
nes & legata sub onere & modo certorum sacro-  
rum, & in his capellaniis ordinarius non habet ali-  
quod Jus instituendi vel visitandi, præter hoc, quod  
generalis sit executor omnium piarum volunta-  
rum.

§. 2

*De variis beneficiis propriè dictis.*

Ut ad secundam quæsiti partem respondeatur, varia beneficiorum propriè dictorum divisio est adducenda. Unde

DICO. 2. Cum in illis, quibus beneficia curam animarum habentia committuntur, major quam in iis qui ad alia promoventur, idoneitas requiratur, intentionis nostræ nequaquam existit, ut cum aliquibus de Ecclesiis, personatibus, dignitatibus vel aliis beneficiis quibuscumque (de animarum curâ mentione non habita) provideri mandamus, ipsis de iis, quibus hujusmodi cura imminet, possit aut debeat provideri §. 1. illis vero: pro quibus scribimus, ut provideatur eisdem de personatibus vel dignitatibus etiam si curam habeant animarum, ad collationem, provisionem, presentationem vel dispositionem spectantibus quorumcunque, provideri nequibit de prælaturis, personatibus vel dignitatibus, ad quos seu quas per electionem i.e., qui eis habent præfici, assumuntur Bonifac. VIII. in cap. 2. de pæbend. & dignit. in 6.

Ex quo patet varia esse beneficia proprie dicta, quorum ratio in rescriptis gratiosis ad beneficia habenda est. Divisio autem beneficii in simplex & duplex, de qua potissimum agit conclusio, exposita est Disput. XXIII. Præterea autem

Dividitur 1. beneficium in sacerdotale & regulare. Sacerdotale est, quod erectum pro clericis sacerdaribus vel ab iis administrari est solitum, sive deinde à regulari sive à sacerdotali hoc est tribus votis religiosorum non obstante conferatur. Præsumuntur omnia beneficia esse sacerdotalia (quia erecta sunt & instituta à tempore, quo clerici à vita communis, in qua regulares permanerunt, defecit) nisi contrarium probetur. Regulare est, quod à regularibus administra-

tur

tur, vel ex primæva fundatione aut ordinarii erigen-  
tis designatione, aut ex longæva consuetudine, quæ  
naturam beneficii sacerdotalis in regulare aut econtrà  
mutare potest. Si adsint hæc conditiones. 1mò si  
40. annis ab uno vel pluribus possessoribus pacificè  
sit & continuè gubernatum, aliqui sustinent sufficere  
decennium in possessoribus sacerdotalibus, ut benefi-  
cium aliàs regulare fiat sacerdotale ob favorem redditus  
ad Jus commune, secundum quod omnia benefi-  
cia præsumuntur sacerdotalia. 2dò. Si possidentes ta-  
liter beneficium fuerint à superiore Ecclesiastico ca-  
nonicè instututi. 3tò. Non ut vicarii aut conducti-  
ti sed velut rectores. 4tò. Non dispensativè v. g. si  
regulares gubernaverint beneficium sacerdotale cura-  
tum propter majorem fructum in cura animarum,  
vel ut rector parentibus subvenire posset, vel ex alia  
causa rationabili, vel si sacerdotes possederint benefi-  
cium regulare in Commendam. 5tò. Si possiden-  
tes tam regulares quam sacerdotes fuerint in bona fi-  
de. Porro juxta commune canonistarum axioma  
fundatum in cap. cum ad nostram 37. cap. officii  
38. de elect. & in Trid. Sess. 14. de reform. cap. 10.  
& Sess. 25. de regularibus cap. 21. sacerdotalia sacer-  
dotalibus, & regularia regularibus sunt conferenda,  
nisi in casibus necessitatis regularibus sacerdotales, aut  
sacerdotalibus regulares sint substituendi. Demum ad  
discernendum beneficium sacerdotale à regulari atten-  
dendus ultimus status beneficii, an tempore vaca-  
tionis ultimæ fuerit in titulum obtentum à sacerdoti  
vel regulari.

Dividitur 2. beneficium in *patronatum*, quod  
ad præsentationem præviam alicujus patroni subse-  
cuta institutione à Prælato Ecclesiastico confertur.  
& *liberum*, quod ulterius dividitur in *electivum*,  
quod confertur per electionem legitimè celebratam

& à superiore Ecclesiastico confirmatam , & collatum , quod absque ulla prævia electione pro libera superioris voluntate confertur ( & talia præsumuntur omnia beneficia , nisi probentur esse electiva vel patronata : cum hæ qualitates sint extrinsecæ beneficio , & præjudicent ordinario , ad quem de jure communi pertinet collatio ) si beneficium collatum debeat conferri clero capaci ex tali loco , patriâ aut familiâ oriundo , vocatur patrimoniale ; si conferens unicum habeat beneficium in aliqua Ecclesia conferendum , vocatur monoculum , si suæ collationi illud summus Pontifex vel generaliter , utpote omnia vacantia in mensibus pontificiis , vel specialiter utpote primam dignitatem post episcopatum reservaverit , vocatur reservatum , si vacet per obitum alicujus clerici actu existentis in curia romana ( hoc est : in loco , ubi bullæ & litteræ Apostolicæ expediuntur ) vel propè illam intrâ duas dietas è viuis excedentis , dicitur vacans in curia Romana ; si verò vacet per renuntiationem à Papa acceptatam , vel ejusdem autoritate admissam , vel per depositionem , privationem , translationem autoritate Papæ factam , dicitur vacans apud sedem Apostolicam , quæ duo tamen plures canonistæ confundunt & pro iisdem sumunt .

## §. 3.

*De obligationibus , qua beneficiis sunt annexæ*  
*Generalis obligatio beneficiorum est ad reci-*  
*tandas horas canonicas , de qua actum est Disput.*  
*XXXV. Q. IV. specialis hodie tantum aliquibus be-*  
*neficiis annexa est obligatio residendi , emitendi*  
*professionem fidei , suscipiendi sacrum ordinem ,*  
*de quâ in præsenti .*

*Q. Quinam beneficiati , ex quo Jure & qualiter*  
*obligentur ad personalem residentiam ?*

R<sup>4</sup>. I.

¶. 1. De Jure antiquo obligantur quidem residere omnes etiam beneficia simplicia obtinentes ex variis textibus sub tit. de clericis non residentibus lib. 2. tit. 4. ex generali verò Ecclesiæ consuetudine, quam declaratio S. congregationis firmat, obligantur residere imprimis Episcopi; deinde parochi, denique habentes dignitates vel canonicatus in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, est autem residentia duplex, stricta, dum beneficiatus omnibus officiis divinis interest, & ad tales residentiam in plerisque collegiatis tenentur primo anno aut primis mensibus; & non stricta, quando in loco beneficii existens pleraque officia beneficio incumbentia personaliter præstat; deinde residentia alia est vera, quando beneficiatus verè & realiter præsens est in loco beneficii, & per se ipsum officium exercet; alia est ficta, quando beneficiatus à loco beneficii absens fictione Juris habetur pro præsente in ordine ad percipiendos fructus annuos aut quotidianas distributiones.

2. Episcopi residere tenentur ex Jure divino, ut innuere videtur Trid. Sess. 23. cap. 1. de reform. ubi enumeratis obligationibus, quæ animatum curatoribus incumbunt, subjungit: *qua omnia nequaquam ab iis præstari & impleri pessunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt, sacrosancta synodus eos admonet & hortatur, ut divinorum præceptorum memores factique forma gregis in iudicio & veritate pascant & regant; hæc autem residentia Episcopi sit apud Ecclesiam Cathedram, cui tanquam sponsæ ipse velut sponsus copulatus est cap. quanto 3. cap. licet 4. de translat. Epis. est tam stricta ex præscripto Trid. Sess. 22. cap. 1. ut non nisi per tres menses sive continuos sive interruptos cum justa causa & sine detimento gregis singulis*

gulis annis abesse possint. Hæc tamen absentia ( nisi episcopalia munia alio vocent ) non debet continere tempore adventus, Quadragesimæ, nativitatis & resurrectionis Christi, Pentecostes & venerabilis Sacramenti ; si verò ultrà trimestre abesse cogatur ex rationabili causa, illa absentia causa à summo Pontifice aut à Metropolitanô, vel eo absente à suffraganeo Episcopo seniore, qui idem Metropolitanî absentiam probare debet, in scriptis est approbanda, justæ causæ enumerantur quatuor : christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesiæ vel reipublicæ christianæ utilitas, pœna autem Seff. cit. in Episcopos ultrà trimestre sine legitima causa absentes statuta est, ut in foro conscientiæ ante oīnem sententiam etiam declaratoriam fructus Episcopales pro rata temporis absentia restituere obligentur illo modo, quo clericus beneficiatus post sex menses à die captæ possessionis omittens orare horas tenetur fructus beneficij pro rata omissionis restituere, fundamentum hujus est, quia Sacri canones non volunt aliter acquiri fructus, nisi posita conditione residentiæ & recitationis horarum. De Parochorum residentia dictum est Disput. XLI. Q. III.

3 Ex jure positivo Ecclesiastico tenentur Canonici Ecclesiarum cathedralium & Collegiatarum residere in suis Ecclesiis & divinis officiis personaliter interesse, nec abesse possunt ultra tres menses ( nisi Ecclesiarum constitutiones etiam longius tempus servitii requirant & absentiam etiam trium mensium negent ) sive 90. dies vel continuos vel interpolatos, modo non incident in nativitatem Domini vel pascha aliasque majores solemnitates ex declaratione Sacræ Congregationis, nec simul omnes abesse debent, ultra vero hoc tempus abesse

esse possunt Canonici ob has causas. Imprimis ob infirmitatem aut aliam necessitatem corporalem, nec tenetur infirmus alium substituere, & talis etiam lucratur quotidianas distributiones: id est: præsentias manuales ob præsentiam in choro & officiis divinis datas, quæ alias si generaliter ex omnium dignitatum & Canoniciatum fructibus & proventibus sint detractæ, accrescunt præsentibus; si vero ex particularibus dignitatibus & beneficiis sint desumptæ, ut si obtinens hujusmodi dignitatem officio divino non intersit, eâ distributione careat, cedunt fabricæ Ecclesiæ vel alteri loco pio arbitrio ordinarii applicandæ; lucratus distributiones quotidianas etiam qui ob rationabilem corporalem necessitatem abest, ut si injustè sit incarcertus, civitate pulsus &c. quia talis sine suâ culpâ abest. Deinde ob evidentem Ecclesiæ utilitatem cap. un. de Cler. non resident, in 6. ut si Canonicus absit in causa propriæ Ecclesiæ, vel dum alii choro intersunt, confessiones excipiat, vel Canonicus Parochus Sacra menta administraret, qui (nisi consuetudinæ obstat) etiam lucratur distributiones quotidianas. Præterea ob studia, unde docentes Theologiam vel jus Canonicum, quamdiu docent, à residentiâ Canonicali liberi sunt, item discentes ad quinquennium vel ad septennium de licentiâ Episcopi, modo studeant juri Canonicâ vel Theologâ in universitate publicâ authoritate erectâ, & sint in tali ætate, ut profectus in studiis sperari possit. Denique ob servitium Episcopi, qui potest duos Canonicos ex Ecclesiâ cathedrali (quod ad alias inferiores Ecclesiæ communiter extenditur) in suum servitium assumere, qui tempore servitii sunt liberi à residentiâ & habentur pro præsentibus, potest etiam superior justâ de causâ licentiam concedere, quâ obtentâ abesse possit. Sicut etiam per legitimè præscriptam consuetudinem excusantur non residentes, sicut enim consuetudo potest

test inducere obligationem residendi, ita & jure humano inductam potest tollere.

*Dices: Sicut Canonici possunt vi juris communis abesse aliquo tempore ab Ecclesiis, in quibus alias deservire debent, ita Episcopis & Parochis conceditur ut aliquo tempore abesse possint, quod Ecclesia non posset concedere, si residentia Episcoporum & Parochorum esset juris divini; ergo non magis erit juris divini quam residentia Canonicorum.*

*R. Negando paritatem: quia Ecclesia concedens Canonicis licentiam, ut possint à beneficiis abesse, relaxat obligationem servitii personalis in Ecclesiâ præstandi solummodo ex jure Ecclesiastico, cum Jus divinum aut naturale non exigat Canonici præsentiam in loco beneficii ad persolvendum aliquod officium spirituale; econtra in residentiâ Episcoporum & Parochorum Ecclesia duntaxat declarat, ex quibus causis cesset obligatio juris divini ob majus bonum vel universalis vel etiam particularis Ecclesiæ; cum ipsum officium, ad quod præstandum Episcopi & Parochi præsentia exigitur, requiratur ex ipso jure divino, quod officium est fidèles pascere Sacramentis, doctrinâ & vitæ exemplo; unde licet sit casus, ob quem Ecclesia interpretatur Episcopum vel Parochum posse abesse, debet nihilo minus idoneus substitui, qui officio satisfaciat, quod in Canonicis non est.*

Pœnæ Canonicorum non residentium sunt haec: Canonicus illicite absens primo anno privandus est dimidiâ parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac residentiæ fecit suos. Secundo anno privandus est omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerat, crescente vero contumaciâ contra eum juxtra sacrorum Canonum constitutiones procedendum est Trid. sess. 24. cap. 12. de reformat. §. præterea. Videlicet si tciatur, ubi Canonicus non residen-

dens existat, debet personaliter moneri & citari, ut redeat intra certum terminum sub pœnâ privationis beneficii cap. ex parte 8. cap. Clericos 17. de Cler. non resident. si vero ignoretur, ubi existat, edictum trinæ citationis in valvis Ecclesiæ, in quâ beneficiatus est affigitur cap. ex tuæ 11. de Cler. non resident & si intra sex menses non compareat, beneficio privandus est, frustus, quibus privatur non residens, applicandi sunt fabricæ juxta declarationem Sacræ Congregationis appellatio à sententiâ privante beneficio propter omissionem residentiæ non habet effectum suspensivum.

**Q. 2.** Quinam beneficiati obligentur ad professionem fidei?

**R.** Obligantur omnes obtinentes beneficia curata à die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses (aliás fructus post duos menses perceptos non faciunt suos sed eos restituere tenentur applicandos fabricæ Ecclesiæ vel pauperibus) ad professionem fidei in manibus Episcopi vel ejus Vicarii aut officialis emittendâ, quam & coram Episcopo seu ejus officiali & in capitulo emittere debent provisi de Canonicatibus & dignitatibus in Ecclesiis cathedralibus, ad hanc tamen non tenentur Canonici Ecclesiæ Collegiarum juxta declarationem Sacræ Congregationis; & si quis novam Parochiam aut Canonicum adipiscatur intra duos menses eandem professionem tenetur repetere, nec post duos menses hæc obligatione exspirat, cum duo menses sint præfixi non tanquam terminus finiendæ obligationis sed ponendæ executionis.

**Q. 3.** Qualiter beneficiati obligentur ad ordines suscipiendos?

**R.** Obligantur habentes beneficia, quibus certus ordo sacer vel ex dispositione juris vel ex lege fundationis vel ex longæva consuetudine est annexus, illum ordinem intra annum à die pacificæ possessionis vel

**2.2. Theol. Schol. Pars posterior.** Tr quo

quo per eos steterit, ut pacificam possessionem habent, suscipere ut de beneficio Parochiali disponitur in cap. licet Canon. 14. cap. commissa 35. de elect. in 6. & de habentibus dignitates, personatus, officia vel præbendas in Ecclesiis cathedralibus vel collegiatis in Clement. ut ii 2. de ætate & qualitate lib. I. tit. 6. quæ renovatur à Trident. sess. 22. cap. 4. de reformat.

Est autem hæc obligatio diversa pro diversitate beneficiorum ita primò assumptus in Episcopum, etiam si sacræ Ecclesiæ Romanæ Cardinalis existat, intra tres menses tenetur munus consecrationis accipere, alioquin obstringitur ad restitutionem fructuum: & si intra tot alios menses hoc est intra semestre a die obtentus confirmationis id facere neglexerit, ipso jure (sine sententiâ judicis etiam declaratoriâ ex communi DD. sententiâ) decernitur privatus Episcopatu à Trid. sess. 23. cap. 2. Secundo assumptus ad beneficium Parochiale tenetur intra annum à die commissi regiminis vel possessionis acceptæ procurare sui promotionem ad sacerdotium, ita ut, si per ipsum steterit, quominus fuerit promotus, ipso jure etiam nullâ præmissâ motione existat Parochiâ privatus cit. cap. licet Canon. 14 de elect. in 6. quod extendendum est ad Vicarios perpetuos, non tamen ad Prælatos, quorum dignitati est incorporata Parochia, ita ut ipsi sint pastores habituales, & non ad collegia, quibus cura pastoralis incumbit, cum hæc collegia in rigore non sint Ecclesiæ Parochiales; Ecclesia autem Parochialis ob non susceptum ordinem vacans eâ vice eidem conferri non potest cap. commissa 35. de Elect. in 6. ex quo capitulo etiam is, qui quando Parochiam acceptabat, non habuit animum suscipiendi ordines, nisi postea mutato animo eisdem suscipiat, tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum, si vero bonâ intentione accepta verit,

verit, licet postea animum suum mutavet, non est obligatus eisdem postea restituere. Tertio obtinens beneficium in Ecclesia cathedrali seu collegiatâ tam laiculare quam regulari non potest habere vocem in capitulo etiamsi ab aliis liberè concedatur, nisi saltem sit Subdiaconus cit. Clem. ut ii de ætate & qualitate, & ord. præfic. & si infra annum non suscepit ordinem pro beneficio tequisitum, ex tunc, donec ad eum promoti fuerint, nullo modo vocem in capitulo habeant & pars dimidia distributionum, quæ dantur iis qui certis horis Canoniciis intersunt, subtrahatur, justo impedimento cœlante. Hic vero singulariter est notanda hæc differentia, si præbendæ ex statuto Ecclesiæ sit ordo annexus, non requiritur ut obtinens sit capax intra annum talem ordinem suscipere sed sufficit quod sit 14. annorum ( intellige in beneficiis simplicibus ) attamen fructuosè residere non potest talis Canonicus, nisi vel actu ordinem illum habeat, vel in proximo sit habiturus; econtra si ex lege fundationis aut dispositio- ne Canonum ordo sit annexus, tunc si intra annum ordinem illum non suscipiant, sunt privandi suis be- neficiis juxta cap. ut Abbates I. de ætate & qual & ordin. præf. ubi ita: *Ut Abbates Decani & prepositi, qui Presbyteri non sunt, Presbyteriant, qui Archidiaconatus tenent, Diaconi, qui vero Archipresbyteri, Presbyteri fiant aut amittant honorem.*

## QUÆSTIO II.

*Quinam sint capaces beneficiorum & de eorum redditibus & superfluo.*

**D**E obligatione ad beneficia assumendi dignos & inter hos digniores actum Disp. XXIII. Q. I. nunc examinandum quinam sint digni habeantque qualitates ad beneficia requisitas, deinde qualiter be- neficiati acquirant fructus.

Tt 2

DICO

DICO I. Inferiora beneficia Ecclesiastica præsertim curam animarum habentia personis dignis & habilibus & quæ in loco residere ac per se ipsos curam ipsam exercere valeant... conferantur. Trid. sess. 7. de reformat. cap. 3.

*Probatur :* Beneficium est jus percipiendi redditus temporales ob officium spirituale juxta dicta priore Quæst. atqui illud Jus non est conferendum nisi dignis & habilibus, qui habent qualitates vel ex naturâ rei vel de jure positivo requisitas ad officium spirituale implementum, ergo.

Variæ autem de jure positivo exiguntur qualitates ad beneficia: primò legitimi natales, unde Filii illegitimi hoc est: non nati ex legitimis & justis nuptiis, nec per subsequens matrimonium legimati excluduntur ab ordinibus & beneficiis Ecclesiasticis, ita ut electio, collatio beneficii Ecclesiastici illegitimo facta sit ipso facto nulla: tum ob probrum & ignominiam; tum in paterni criminis detestationem; tum etiam ob timorem paternæ incontinentiæ, cuius præsumuntur Filii futuri imitatores Can. si gens anglorum 10. dist. LVI. nisi fuerint per rescriptum summi Pontificis legitimati, aut sint religiosi: quia professio religiosa maculam natalium abstergit, nullum tamen beneficium curatum aut dignitatem aut prælaturam tales obtinere possunt. cap. 1. de Filiis Presbyter. quod extendendum est ad moniales, ut monialis illegitima non possit fieri Abbatissa; aut nisi denique fuerit dispensatum cum legitimis, quæ dispensatio strictè interpretanda juxta cap. 1. de Filiis Presbyt. in 6. ita ut dispensatus ad ordines non possit suscipere ordines sacros, dispensatus ad beneficia non possit obtinere beneficium curatum; dispensatio à legitimatione in his distinguitur, quod legitimatio habitat illegitimum universaliter ad omnia jura, à quibus per Canones vel leges repellebatur, dispensatio solum, ad quæ præcisè datur,

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS. 661  
tur; item legitimatio latè, dispensatio autem strictè  
est interpretanda.

Porro cum illegitimo ad beneficia simplicia sicut &  
ad ordines minores dispensat Episcopus cap. 1. de Fi-  
liis Presbyt. in 6. lib. 1. tit. 11. ad beneficia curata,  
personatus vel dignitates dispensat solus summus Pon-  
fex cap. cit. hæc, quæ dicta sunt de Filiis illegitimis, non  
sunt extendenda ad illos, de quibus dubitatur, an sint  
ex legitimo matrimonio geniti, quia vel illorum Pater  
& Mater ignoratur, ut communiter est in prolibus  
secreto expositis, vel quorum Mater ejusque conju-  
gium quidem certum est, sed dubitatur an Filius sit ex  
tali conjugio natus, vel quorum Pater & Mater sunt  
quidem certi, sed incertum an tempore conceptionis  
fuerint aut esse potuerint veri conjuges.

Obstant quoque natales legitimi ne Filius beneficium  
paternum aut nepos beneficium avi, quo Pater vel  
avus fuit intitulatus, obtineat, nisi mediet tertia per-  
sona, quæ illud post Patrem vel avum possedit, aut  
Papa dispenset, Filius vero illegitimus etiam ad bene-  
ficia dispensatus nec mediately nec immediately beneficium  
Patris, aut in Ecclesiâ, in quâ Pater beneficiatus fuit,  
aut ex officio ministravit, nec pensionem super bene-  
ficiis à Patre obrentis habere potest Trid. sess. 25. cap.  
15. de reformat.

Secundo requiritur ad beneficia certa ætas hoc mo-  
do: Primo ad beneficium simplex requiritur annus  
ætatis 14tus inchoatus juxta Trid. sess. 23. cap. 6. in quo  
Episcopus dispensare non potest: quia non dispensat  
super Concilio, nisi in casibus à jure permissis.  
Si aliquis habeat rescriptum gratiæ v.g. preces Cæsareae,  
ut ipsi conferatur beneficium proximè vacaturum, suffi-  
cit quod talem ætatem habeat tempore executionis  
gratiæ. Secundo ad Canonicatum in Ecclesiâ cathe-  
drali vel Collegiatâ, cui certus ordo est annexus, re-

Tt 3

quiritur

quiritur talis ætas, ut intra annum ad ordinem illum promoveri possit ut colligitur ex Trid. sess. 24. cap. 12. de reformat. ibi: *Neminem etiam deinceps ad dignitatem, Canonicatum aut portionem recipient, nisi qui eo ordine sacro aut sit iniciatus, quem illa dignitas, portio, aut præbenda requirit; aut in tali etate, ut infra tempus à jure & ab hac S. Synodo statutum invari valeat.* Quamvis autem aliqui sustineant integrum ætatem ad ordinem annexum requisitam adesse debere tempore provisionis ut probari videtur ex eod. Trid. sess. 22. cap. 4. de reformat. ubi dicitur: *Nec aliis impasterum fiat provisio, nisi us, qui jam etatem & ceteras habilitates integrè habere dignoscantur, aliter irrita sit provisio.* Verum hoc intelligi debet juxta declarationem cit. cap. 12. Tertio ad Parochiales Ecclesiæ & quascunque dignitates quibus animarum cura est annexa, promovendus debet & statim annuitatæ attigisse cap. cum in cunctis 7. §. inferiora. de elect. cap. licet Canon. 14. eod. tit. in 6. Concilium Trid. sess. 24. de reformat. cap. 12. idem est de Vicariis perpetuis. Clement. un. de officio Vicarii. Quarto pro dignitatibus personatibus & officiis Ecclesiarum cathedralium, quibus cura animarum non est annexa, nec de consuetudine statuto vel privilegio aliter observatur, requiritur ætas 22. annorum Trid. loc. cit. quos annos debere esse completos probatur cum ex modo loquendi Con. Trid. quod de dignitatibus curatis dicit sufficiere quod & statim ætatis annum attigerint providendi: hic autem requirit ut providendus non sit minor 22. annis; tum quia etiam ita declarasse refertur Sacra Congregatio. Si hujusmodi personatibus cura animarum solum accessoriè & non principaliter sit unita juxta declaracionem ejusdem Sacrae Congregationis attendendum est ad naturam Canonicatus non autem ad Parochiale beneficium unitum, secus, si Parochialis sit æquè principali-

paliter unita: quia tunc non assumit naturam Canoniciatis. Quinto pro Canonicatu cui annexum est munus pœnitentiarii requirit Trid. sess. 24. cap. 8. de reformat. 40. annos. Sexto ad Episcopatum requiritur 30. annus completus: quia cap. cum in cunctis cit. dicitur: *Natus in Episcopum eligatur, nisi qui jam tricesimum annum etatis exegerit.* Et quod per sex menses prius fuerit in Sacro ordine constitutus Trid. sess. 22. cap. 2. pro summo Pontificatu in sacris Canonicibus non reperitur certa ætas constituta. Septimo in Abbatibus requiritur inchoatus annus 2 stus, in Abbatis autem conformiter ad cap. indemnitatibus elect. in 6. & Trid. sess 25. de regul. cap. 7. annus 40mus aut saltē 30mus. & octo vel quinque anni exacti post expressam professionem.

Tertio requiritur ad beneficia corporis integritas ad sustinenda onera beneficii & susceptionem ordinum requisita, & specialiter in regularium superioribus requiritur sanitas, quanta necessaria est ad observantias & rigores vitæ communis & ad aliis in legum custodiâ prae eundum. Et in aliis quibuscumque immunitas ab omni defectu corporali inducente irregularitatem: de quâ in suppl. Disp. XXXIX Q. IV.

Quarto ad beneficia requiritur litterarum scientia saltem sufficiens, triplex enim est gradus in scientiâ: *eminens*, quâ quis difficiles quascunque questiones ad munus suum spectantes scit ex tempore resolvere, *mediocris*, quâ difficiles quaslibet questiones auctoribus inspectis enodare potest, *sufficiens* denique, quâ novit ea, quæ sunt necessaria ad officium suum & quæ ad munus proprium pertineat, quæ sufficientia scientiæ arbitrio boni viri relinquuntur pro varietate gra dum & officiorum.

Quinto requiritur cælibatus: quia status matrimonialis ita contrarius est statui beneficiali, ut eo ipso, quo

beneficiatus in minoribus constitutus uxorem ducit, amittat beneficium, quia censetur tacite renuntiare beneficio cap. si quis Clericorum 1. cap. sane 2. cap. quod à te 3. cap. cum decorem 8. de Cler. conjug lib. 3. tit. 3. nec potest Episcopus dispensare, ut uxoratus ad beneficium promoteatur, ratio horum est: tum quia uxoratus cogitat quomodo placeat uxori & divisus est, undè plenè Ecclesiæ, à quâ recipit stipendium, non potest famulari, tum quia amore Filiorum & uxoris talis beneficiatus facile substantiam beneficiorum consumeret & ita beneficiorum redditus perirent. Quod dicitur de beneficio extendendum est ad jus quod aliquis habet ad beneficium, ut jus electionis, jus quod habet praesentatus ad beneficium, jus pensionis super alterius beneficio; licet autem dicatur in cap. si quis Clericorum 1. *Ad relinquenda beneficia Ecclesiastica compellatis.* Et in cap. quod à te 3. *Ecclesiasticis præcul dubio beneficiis sunt privandi*, quæ verba videntur innuere, quasi ipso jure non sint privati beneficiis; attamen hæc exponi debent de privatione facti, quâ uxorati ab actuali beneficiorum detentione removendi sunt. Prima exceptio est: si vir de licentiâ & consensu uxoris emitentis votum castitatis vel simplex in seculo vel solemne in religione approbatâ conformiter ad cap. cum sis 4. & cap. conjugatus 5. de convers. conjugat. lib. 3. tit. 32. vovisset castitatem solemniter. Secunda exceptio est: si vir propter adulterium uxoris fecisset divorcium, tunc enim potest inconsultâ uxore adulterâ sacros ordines suscipere & administrationes Ecclesiasticas obtainere, nisi ob Bigamiam, de quâ alibi excludatur à sacris ordinibus & consequenter etiam ab Ecclesiasticis beneficiis.

6to Requiritur certus Ordo, imprimis quidem ad omne beneficium generaliter prima tonsura, quia ille, cui confertur beneficius, debet esse Clericus, cleri-

clericatus autem confertur per primam Clericalem tonsuram Cap. cum contingat 11. de ætat. & qualit. & Ord. Præfic. Lib. I. tit. 14. adeo ut institutio illius, vel collatio facta illi, qui tempore provisionis nondum habebat primam tonsuram, de facto sit nulla. Deinde requiritur ad certa beneficia certus Ordo vel aptitudine, & tunc sufficit, quod intrâ annum talem Ordinem beneficiatus possit suscipere, ut jam ante dictum est. Vel requiritur Ordo actu, ut in promovendo ad Episcopatum requiritur subdiaconatus, aut si in fundatione adjiciatur expressè ut nonnisi tali ordine initiatus possit beneficium obtinere v.g. si adjecta habeatur clausula: præsentetur presbyter, & tunc tempore provisionis debet esse actu sacerdos: quia qualitas verbo adjuncta intelligitur secundum tempus illud, quod per verbum importatur.

7mō Requiritur morum probitas & honestas, unde imprimis debet promovendus ad beneficium esse liber ab infamiâ juris & facti, in quâ tamen infamiâ juris potest dispensari, non verò in infamiâ facti: cum ratio naturalis dicteret, eum, qui est & manet infâmis, hoc est, præcedentem criminis infamiam dignâ pœnitentiâ & vitâ virtuosâ non abstersit, non esse promovendum ad beneficium, si quis semel ad dignitatem vel Prælaturam est electus, & electio ob crimen personæ vel vitium cassata fuit, non potest ad aliam Prælaturam eligi arg. à sensu contrario Cap. super eo 12. de elect. quia tale vitium personæ electæ in proceſsu electionis oppositum ad impediendam confirmationem quodammodo personam electam suggillat, eamque sequitur ut lepra leprosum. Deinde non tantum debet esse immunis à criminis ob peractam de eo pœnitentiam, sed etiam à Censuris & irregularitatibus ob delictum incursis.

8vō Requiritur ad beneficium integritas fidei, unde I. Hæretici ad beneficia sunt inhabiles, quia excom-

municati & infames Can. infames 17. Causa VI. Q. 1.  
Cap. excommunicamus 13. de hæret. lib. 5. tit. 7. &  
juxta sententiam probabilem sunt irregulares, ideoque  
etiam post conversionem, antequam cum illis dispen-  
satum fuerit, manent ad officia & beneficia Ecclesia-  
stica incapaces. 2. Excluduntur hæreticis credentes  
id est: habentes illos pro fidelibus, quamvis in Arti-  
culis fidei cum ipsis non consentiant, eorumque recep-  
tatores, defensores & fautores. quorum quoque & ha-  
reticorum filii usque ad secundam generationem ad be-  
neficia non admittuntur Cap. quicunque 2. de hæreticis  
in 6. §. hæretici 2. 3. Condemnati ad ejurandam hæ-  
resin ob suspicionem hæresis beneficiorum sunt incapa-  
ces, quia licet abjuratio hæresis quoad substantiam non  
sit pœna, sed potius actus & confessio fidei, ratione ta-  
men solemnitatis quam habet ex jure positivo, ut fiat  
coram Notario & testibus cum juramento & obligatio-  
ne ad pœnas relapsorum, si post ejuratam hæresin ite-  
rim in illam incident, est pœna gravis judicialis, qua-  
talem ad ejurandam hæresin damnatum reddit ineligi-  
bilem. 4. Demum non statim admittitur ad benefi-  
cia & maximè ad Prælaturas Neophytus: hoc est: re-  
center ex Judaismo vel Paganismo suscepto Baptismo  
ad fidem conversus Can. 1. dist. XLVIII. antequam in  
moribus & disciplinâ Christianâ sufficienter instructus  
sit & probatus, postquam tamen tales conversi suam  
constantiam demonstrarunt, sunt capaces non solum  
ad ordines, sed etiam ad quæcunque beneficia Cap. eam  
te 7. de rescript. Lib. 1. tit. 3. Ultra has qualitates in  
superiore regulari requiritur emissio votorum solem-  
nium & professio expressa, & quidem, licet non in eo-  
dem monasterio, tamen in eadem Religione, cum ra-  
tioni non congruat, ut homines disparis professionis vel  
habitùs simul in eisdem monasteriis socientur Clement.  
1. de elect. in qua aliter facta electio vel promotio de-  
cla-

claratur ipso jure nulla, videatur de hoc Trid. sess. 2 §.  
Cap. 21. de regul.

Antequam secunda Pars Questionis resolvatur, pro pleniori intelligentia.

*Nota 1.* Alia sunt bona Ecclesiæ, alia bona Ecclesiastica, bona Ecclesiæ sive immobilia: ut fundi, prædia: sive mobilia: ut ornamenta, campanæ &c. sunt, quæ immedietè & directè spectant ad ipsam Ecclesiæ, & horum dominium est & manet penes Ecclesiæ. Rectores vero Ecclesiarum solum habent administrationem talium bonorum. Bona Ecclesiastica sunt, quæ separatim possidentur ab Ecclesiasticis & ministris Ecclesiæ, & hæc in jure Canonico vocantur peculium Clericorum (de quo tit. 25. lib. 3. decretal. de peculio Clericorum) ad similitudinem illius peculii vel parvæ portionis pecuniae, quam servus de consensu Domini, filius de voluntate Patris habet.

*Nota 2.* Bona Clericis propria & ad peculium Clericorum pertinentia sunt in triplici differentia 1. Alia sunt patrimonialia, quæ non tantum Clericis ex patrimonio seu paternâ hæreditate (quamvis inde tanquam principali significato nominis appellatio derivetur) obveniunt, sed etiam quæ ex donatione amicorum, arte, doctione, vel propriâ industriâ acquisiverunt, sive ante sive in statu Clericali. De his bonis certum est, Clericum sacerdotalem non minus habere dominium plenum, & consequenter disponendi, donandi &c. potestatem, quam habeat quilibet laicus, unde etiam si Clericus intestatus decedat, in istis bonis succedit non Ecclesia, sed familia aut consanguinei, possuntque de iis bonis Clerici liberè disponere ut dicitur in Cap. quia nos 9. de testam. lib. 3. tit. 26. 2. Alia sunt bona quasi patrimonialia. quæ Clerici acquirent non ratione beneficii, sed officii & ministerii Ecclesiastici ue præmia ac stipendia sui laboris, quem impendunt v.g.

celebrando , prædicando , audiendo confessiones, cantando &c. Quo etiam pertinent jura funeralia , jura stolæ in administratione Sacramentorum dari solita (& secundum quosdam , aliis tamen contradicentibus , distributiones quotidianæ , quæ dantur Canonici & vicariis præsentibus , ideo vocari solent præsentiae ) de his bonis iterum certum est , quod Clerici illorum bonorum plenum dominium acquirant , ac ideo de illis disponere possint ad quoscunque usus : sicut enim stipendium , quod datur pro labore vel officio profano transit in dominium plenum accipientis , ita etiam stipendia intuitu laboris in officiis Ecclesiasticis impensi data .

*Nec obstat :* quod hæc stipendia sæpius excedant in valore laborem ministerii Ecclesiastici ; quia Ecclesia vel fideles volunt ex superabundanti recompensare labores sacros , neque dantur , ut pretium talium laborum sed ut honoraria labrantium .

3. Denique sunt bona Ecclesiastica quæ secundum suam originem ad Ecclesiam pertinent , & à fidelibus Deo & nomine Dei Ecclesiis in remissionem suorum peccatorum oblata sunt primitus , sed à Prælatis Ecclesiasticis postea specialiter sunt assignata Clericis tanquam beneficium pro officio spirituali præstando , cuiusmodi sunt annui reditus , qui percipiuntur ex fundis & prædiis Ecclesiasticis , decimis &c. Ratione Dècanatûs , Canonicatûs , Parochiæ &c. Cui horum bonorum dominium competit , controvertitur . Pro quo ulterius .

*Nota 3.* quod circà bona Ecclesiastica tres sint status distinguendi juxta tempora diversa Ecclesiæ . Primus status fuit in primitiva Ecclesia , quando omnes clerici in communi vivebant etiam edito paupertatis voto , ut multi volunt ; bonorum , quæ tunc à fidelibus offerebantur , afferatio committebatur idoneis ministris , dispensatio vero erat penes Epis-

copos

copos, qui illa in necessitates clericorum, eleemosynas pauperum, redemptionem captivorum aliaque pia opera pro temporum ratione dispensabant, & de hoc statu procedit caus. XII. Q. 1. in qua per plura capitula ostenditur, quod bonorum Ecclesiasticorum dominium in hoc statu fuerit penes Ecclesiam, administratio penes Episcopos. Secundus status refertur ad tempora Simplicii Papæ, qui Ecclesiæ præfuit usque ad annum 483. quando redditus Ecclesiærum in quatuor partes sunt divisi, quarum una assignabatur Episcopo, altera inter clericos pro illorum necessitate & conditione distribuebatur, tercia applicabatur pauperibus, quarta erat deputata pro fabrica Ecclesiæ, in hoc statu dominium secundæ partis erat penes clericos in communi, ut probatur ex can. vulneranæ 25. & sequentibus caus. XII. Q. 2. Tertius denique status est hodiernus, in quo ex secunda portione sunt instituta beneficia & præbendæ & certi proventus anni singulis beneficiatis sunt assignati, ex quibus quilibet seorsim suo arbitratu vivat, tertia autem & quarta pars vel in foundationes hospitalium fuit applicata vel aliis partibus fuit permixta & confusa.

*Nota 4.* inter bona illa, quæ percipiuntur ex beneficiis, hodiecum aliqua sunt, quæ requiruntur ad honestam sustentationem ipsorum beneficiatorum, quæ congrua sustentatio non consistit in indivibili, sed nomine sustentationis honestæ intelligitur, quidquid est necessarium moraliter ad honorabilem suæ personæ & familiæ alimoniam juxta statum dignitatis, regionis conditionem & consuetudinem, alia sunt bona superflua, quæ ipsorum beneficiatorum honestam sustentationem excedunt. His pro majori claritate & antiquorum canonum intelligentia notatis.

DICO

DICO 2. Episcopi... propriorum honorum verum dominium habent... de his autem, quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis... bona Ecclesiarum non sunt solum expendenda in usus pauperum, sed etiam in alios usus S. Th. hic Q. 185. A. 7. in O. & ad 2.

Explico: sicut Episcopi, ità omnes beneficiati exculares non tantum honorum patrimonialium & qui si patrimonialium habent dominium, sed etiam habent dominium bonorum & proventuum ex beneficiis provenientium, sive sustentationi congruae sint necessaria, sive superflua, tamen superflua in pauperes vel pios usus sunt applicanda probabilius ex Justitia.

Prima pars, quam aliqui antiquiores negant, probatur: beneficiatus acquirit dominium justi stipendii sibi ratione officii spiritualis debiti; sicut enim pauper fit Dominus eleemosynæ sibi à divite datæ, ità & clericus fit dominus stipendiæ ratione officii dati: cum æqualiter voluntate donantium transferatur eorundem dominium, nec sunt clerici pejoris conditionis, quam alii stipendiarii, dum ne mo militat suis stipendiis; atqui redditus beneficiales, quatenus ad decentem sustentationem iis clericus indiget, sunt ipsi ut stipendum justum debiti, cum secundum Apostolum qui altario servit, vivere debeat de altari: Et qui ad onus eligitur, repelli non debeat à mercede ut ait Innoc. III. in cap. 16. de præb. lib. 3. tit. 5. ergo illorum plenum dominium acquitit, ideoque quæ ex illis redditibus per propriam partionem ac velut industriam colligit, pleno & absoluto dominio ad ipsum pertinent, & per consequens etiam de iis liberè disponere potest, quippe quæ sine cuiusquam injuria reservatis etiam bonis, si quæ habeat, patrimonialibus, absumere potuisset.

Secunda

*Secunda Pars probatur 1. ex Trid. quod Sess. 2;*  
*cap. 1. de reformat. statuit, quod non residentes pro-*  
*rata absentia fructus suos non faciant Sess. 24. cap.*  
*12. de reform. statuit canonicos in cathedralibus &*  
*curam animarum habentes intrâ duos menses non*  
*facientes fidei professionem fructus non facere suos,*  
*item beneficiatum ultrâ tres menses absentem primo*  
*anno privandum esse dimidia parte fructuum, quos*  
*tatione præbendæ fecit suos, & si iterum fuerit ne-*  
*gligens omnibus fructibus privandum, quos eodem*  
*anno fuisset lucratus; atqui fructus facere suos, eos-*  
*dem luctari aperte significat dominii acquisitionem;*  
*ergo.*

*Probatur 2. ratione : clerici beneficiati om-*  
*nnes redditus suorum beneficiorum promiscuè percipi-*  
*piunt eodem titulo beneficij ; sicut ergo sunt domi-*  
*ni illorum, qui ad illorum sustentationem sunt ne-*  
*cessarii, itâ etiam superfluorum.*

*Nec obest : quod Sancti Patres in pluribus locis*  
*dicant, illa bona esse bona pauperum ; quia in hoc*  
*sensu non sunt bona pauperum, quasi illorum sint*  
*propria vel quoad proprietatem, sed quoad debiti*  
*vel obligationem illa etogandi pauperibus, de*  
*quo statim, vel textus Sanctorum Patrum proce-*  
*dunt de primo & secundo statu bonorum Ecclesiasti-*  
*corum ante divisionem & erectionem beneficio-*  
*rum.*

*Tertia pars probatur ex pluribus Juris canonici tex-*  
*tibus & ex Concil. Trid. quod Sess. 25. cap. 1. de*  
*refor. prohibet, ne Episcopi ( quod in fine capitulis*  
*ad alios quoscunque clericos extenditur ) res Eccle-*  
*siaстicas, quæ juxta canones Apostolicos Dei sunt,*  
*consanguineis donent, nisi illi sint pauperes, tunc*  
*illis ut pauperibus bona Ecclesiastica distribuere*  
*licet.*

*Quarta Pars probatur 1.* cui aliquid datur cum onere dandi illud vel partem illius alteri, is ex Justitia tenetur illud dare alteri, ita ut si in alios usus impendat vel inutiliter absumat, ad restitutionem sit obligatus v. g. si detur alicui ad iter romanum certa pecunia sub eo modo, ut quod suprà necessarias itineris expensas reliquum fuerit, in pauperes eroget, talis modos donationi adjectus obligacionem parit ex Justitiâ, ut vel modus impletatur, vel quanti interest, eum impletum non fuisse, restituatur; atqui fideles nonnisi sub hoc modo & tacito pacto tam abundantes redditus Ecclesiasticos fundarunt, ut quæ supersunt congruae sustentationi ministrorum Ecclesiæ, in alios pios usus vel pauperes expendenterentur, ut S. Greg. ait in can. quia tua 8. caus. XII. Q. 1. omne quod supereft, in causis piis ac religiosis erogandum est & S. Aug. in can. decimæ 66. caus. XVI. Q. 1. decime tributa sunt egentium animarum idem in can. quod autem 3. caus. XXIII. Q. 7. si autem privatim, quæ nobis sufficient, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, qui aliique textus strictiorem in clericis, quoad expendenda bona beneficiorum superflua in usus pauperum aliosvè pios, obligacionem indicant, quam in aliis bonis licet superfluis. Idem insinuat Trid. loco suprà citato, ergo licet beneficiati omnium reddituum beneficialium accipiunt dominium, id tamen accipiunt cum hoc onere, ut quod supereft, in pios usus expendatur, quod si non fiat, ex Justitia ad restitutionem tenentur.

*Probatur 2.* juxta omnes beneficiati graviter peccant, si redditus Ecclesiasticos superfluos in notabili quantitate non in pauperes vel alios pios usus expendant; atqui non peccant tantum contrà charitatem

tem : qua lex charitatis tam clericos quam laicos obligat ad succurrendum pauperibus saltem in necessitate, quæ respectu clericorum tæpè non adest, dum pauperibus aliundè subvenitur ; neque peccant præcisè contrà religionem : quia redditus Ecclesiastici secundum se & intrinsecam naturam sunt res mere temporales, nec sunt res sacræ & benedictæ, ut calices & vasæ sacra ; ergo eorum applicatio ad profanos usus non est gravis culpa contrà religionem, alioquin nec illi redditus Ecclesiastici, quos beneficiarius propria parsimonia colligit, & sibi subtrahit patciùs vivendo vel ex bonis patrimonialibus tantum consumendo, possent expendi in usus profanos, cum sint ejusdem naturæ cum superfluis ; neque peccant tantum contrà Jus Ecclesiasticum vel legem positivam : quia canones & Concil. Trid. prohibens, ne bona Ecclesiastica in profanos usus expendantur, præsupponunt talem usum esse illicitum, quia sunt res Dei , patrimonia pauperum, pretium peccatorum ; ergo agnoscunt obligacionem fundatam in ipso jure naturæ.

*Obj. I.* Pauper, qui accipit Eleëmosynam non peccat specialiter contrà Justitiam, si illâ abutatur ad usum illicitum contrà intentionem donantis Eleëmosynam ; item, qui ex bonis Ecclesiasticis accipiunt pensionem ob servitium aliquod v. g. cunctum, pulsum organi &c. Imò ipsi beneficiati non peccant contrà Justitiam, si bona Ecclesiastica ad sustentationem necessarii dilapident, in usus profanos & illicitos impendant contrà intentionem fundatorum ; ergo etiam non peccabunt contrà Justitiam, si bona superflua præter intentionem fundatorum impendant.

*Rg.* Negando consequentiam : quia Eleëmosyna data pauperi, pensio ex bonis Ecclesiasticis data ser-

2.2. *Theol. Schol. Pars posterior.* V V vito-

vitori Ecclesiæ, redditus recepti pro sustentatione necessarii jam sunt applicati in piuum usum, ideoque ultimè satisfactum est piæ intentioni offerentium, at bona superflua, quæ clerici beneficiarii accipiunt, nondum sunt applicata ad piuum usum, sed ideo clericis præter necessaria dantur, ut ipsi sint administratores & dispensatores illorum bonorum, vel executores piæ intentionis fidelium, qui ista bona pro divino cultu & animarum salute obtulerunt.

*Obj. 2.* Donatio facta consanguineis ex bonis superfluis non est invalida; ergo non debent ex Justitia in pios usus impendi.

*R.* Negando consequentiam: quia superflua clericorum sunt quidem debita pauperibus, non tamen ipsa bona secundum se obstricta sunt pauperibus, ideoque ille, cui clericus ex superfluis donavit, non tenetur restituere, eo quod debitum illud superflua erogandi sit potius personale clerici, item si clericus per contractum onerosum similia bona in alium transferat, tunc clericus potest & debet dare pauperibus de illis, quæ pro superfluis accepit; simile est: omnia bona debitoris sunt obligata creditori, si tamen debitor aliquod bonum alienet, alienatio est valida, sed debitor debet ex aliis bonis, quæ adhuc habet, creditori satisfacere. Ex his

*Colliges 1.* In applicatione fructuum Ecclesiasticorum ad usus profanos requiri multo majorem materiam ad peccatum mortale, quam in materia furti, quia beneficiarius est dominus fructuum etiam superfluorum, quæ verò præcisè requiratur & sufficiat quantitas, certâ regulâ determinari non potest.

*Colliges 2.* Bona superflua per se loquendo non esse necessario exponenda in pauperes loci, in quo est beneficium, sed posse expendi in quoscunque non solum stipem mendicantes, sed etiam illos,

qui

qui non habent sufficientia media pro statu conserdo, sic beneficiarius potest extraneum vel consanguineum alere in studiis, dotare consanguineam, ut obtineat Matrimonium juxta suum statum si parentes vel non possint vel non velint: quia nomine piz causæ veniunt quæcunque ad Dei cultum vel opera misericordiæ, sive spiritualia sive corporalia, per se ordinantur.

## QUÆSTIO III.

*Quot modis beneficia acquiruntur?*

**M**odi quibus acquiritur Jus ad beneficium sunt.

- 1mò. Præsentatio patroni.
- 2dò. Electio capituli.
- 3tiò. Gratia exspectativa.
- 4tò. Reservatio beneficii in alicujus favorem.
- 5tò. Consuetudo vel privilegium optandi beneficium.
- 6tò. Preces primariæ imperatoriæ; modi quibus acquiritur jus in beneficio sunt.
- 1mò. Institutio.
- 2dò. Collatio.
- 3tiò. Confirmatio, ut hos omnes modos ordinatè breviter tamen hac quæstione expendamus, generaliter

DICO: *Beneficium Ecclesiasticum non potest licere sine institutione canonica obtineri R. i. J. in 6.*

*Explicatur & probatur:* quia beneficia Ecclesiastica subsunt dispositioni & potestati tum dominativæ tum legislativæ Ecclesiæ, non possunt eadem obtineri ad instar aliarum rerum temporalium, quæ per privatorum contractus, per ultimas voluntates, per dispositionem Juriis civilis transferuntur, sed solis illis modis, quos Sacri canones approbavit, qui generaliter intelliguntur nomine institutionis canonica latius acceptæ (strictè sumpta institutio correspondet præsentationi à patrono factæ) si enim quavis viâ obtineri posset beneficium Ecclesiasticum oriretur in Ecclesia totalis confusio imò ruina mini-

steriorum spiritualium; undē can. quoniam 13. caus. XVI. Q. 7. S. Greg. VII. reprobat investituras laicorum in Ecclesiis, dicens: *ex eo plurimas perturbations in Ecclesia (imò rānam sancte religionis) oriri, ex quibus christiana religio conculcatur, nullum igitur beneficium Ecclesiasticum alio quam à laceris canonibus approbato modo obtineri potest.*

*Obj.* Potest beneficium Ecclesiasticum obtineri præscriptione triennali, juxta Regulam cancellariæ Apostolicae, de triennali, atqui præscriptio non est institutio canonica; ergo siue institutione canonica beneficium Ecclesiasticum obtineri potest.

*R.* Distinguendo Mi. præscriptio in regulâ allegata approbata non est institutio canonica prout significat provisionem aliquam ordinatiam validam Con. prout significat modum obtainendi beneficium auctoritate Ecclesiastica approbatum N. similiter distinguitur consequens. Sicut enim modi ordinatii obtainendi beneficium Ecclesiasticum sunt electio, præsentatio, aliavè provisio valida, ità eadem Ecclesiastica auctoritate, si hi modi propter defectum aliquem occultum invalidi sint, obtainetur beneficium præscriptione secundum expressionem regulæ Disput. XX. Quæst. III. allatæ.

### §. I.

*De modo obtainendi beneficia per præsentationem & institutionem.*

Beneficia, quæ sunt juris patronatus, de quo actum est in hâc parte Disput. XXIII. Quæst. III. conferenda sunt ad præsentationem sive nominationem ejus, qui est vel putatur esse Patronus, confidunturque actu per institutionem ità specificè dictam.

*Q. 1.* A quo sit facienda præsentatio & de quo?

*R. Præ-*

**R. I.** Præsentatio facienda est ab eo , qui est in possessione sive sit verus Patronus , sive putatus : cum præsentatio se habeat ad instar fructus : fructus vero pertinent ad bonæ fidei possessorem , ideoque licet postea manifestum fiat , præsentantem non habuisse jus patronatus , beneficiatus tamen beneficium retinet Cap. consultationibus 19. de jure patr. lib. 3. tit. 38. idem est de iis , qui sunt in possessione eligen- di & conferendi , hæc autem possessio acquiritur etiam per unicum actum , si sequentia concurrant .  
**1.** Si præsentaverit bonâ fide . **2.** Si præsentatio fuerit ab instituente admissa . **3.** Si præsentans crediderit & credebatur uti jure suo . **4.** Demum si nullus contradixit ,

**2.** Debet Patronus præsentare personam à se dis- stinctam ; licet enim pauper Clericus possit petere & rogare ut sibi provideatur de beneficio congruo Cap. cum secundum 16. de præb. non tamen potest seipsum ad beneficium præsentare ; Cap. per nostras 26. de jure patr. quia tunc videtur tale beneficium postulare ex debito , cum præsentatus debeat insti- tui , si dignus sit ; videtur ferre judicium de capaci- tate propriæ personæ , quod est suspectum ; vide- tur autoritatem præstare sibi ipsi , quæ omnia in jure sunt prohibita ; attamen si renuntiet pro illâ vice juri præsentandi , & petat , ut sibi de tali bene- ficio provideatur , vel si Episcopus vel alius colla- tor ante præsentationem illud liberè conferat Pa- trono , potest illud obtainere , cum tunc non cense- tur se ingerere , sed superiori ad beneficium vocan- ti obedienter consentire ; nec debet in hoc Patro- nus esse pejoris conditionis , quam quilibet aliis . Quamvis autem non possit seipsum præsentare , po- test tamen præsentare filios aliosque sanguine jun- ctos .

3. Debet Patronus præsentare personam dignam & (maxime ad beneficia curata) inter dignos dignorem, de quo Disput. XXIII. Quæst. I. Si Patronus præsentet indignum, distinguendum est, vel Patronus Ecclesiasticus scienter (quod semper præsumitur in ipso, nisi contrarium probetur) præsentet indignum, tunc præter peccatum, quod commitit, privatur pro illâ vice jure præsentandi & devolvitur ad Episcopum vel alium habentem jus instituendi potestas conferendi arg. Cap. 1. de suppl. neglig. Prælat. lib. 1. tit. 10. *Ratio est:* quia præsentatio facta à Patrono Ecclesiastico habet vim electionis, scienter autem eligentes indignum privantur jure eligendi, si autem probaverit Patronus Ecclesiasticus ignorantiam probabilem, rejectâ præsentatione habet potestatem intrâ alias sex menses præsentandi alium dignum. Vel patronus laicus præsentat indignum vel scienter vel ignariter, quod posterius præsumitur, tunc jus præsentandi pro illâ vice non devolvitur ad Episcopum (licet si scienter sit factum plures Canonistæ sustineant Patronum laicum pro eâ vice privatum esse jure præsentandi) sed rejectâ præsentatione Ordinarius potest in Ecclesia vacante œconomum constituere, usque dum Patronus alium idoneum præsentet, modo adhuc currat præsentandi tempus. *Ratio est:* quia sicut Patronus laicus potest variare & præsentâ unâ personâ alteram præsentare juxta Cap. cum autem 24. de jure patron. itâ multò magis si præsentavit indignum & præsentatio rejecta fuerit, potest præsentare alterum, eo quod variatio præcipue à jure concedatur, quando actus præsentationis fuit inutilis, hoc apud omnes certum, quod patrono laico post præsentatum scienter indignum intrâ debitum terminum non præsentante dignum, lapso

termino libera collatio devolvatur ad Ordinarium.

4. Si plures sint Patroni præsentantes per modum unius collegii, ita ut unum corpus constituant, pleraque ad electionem capitularem requisita sunt observanda; si vero pluribus non ut communitati, sed ut singulis seorsim spectatis conveniat jus Patronatus, præsentandus debet habere majora vota, non per ordinem ad totam collectionem Patronorum, sed per ordinem ad alios simul nominatos cap. quoniam 3. de jure Patronat. J. G. V. majoribus. Nec requiritur, ut omnes sicut in priori casu personaliter citentur, sed sufficit quod aliunde sufficientem notitiam vacantis beneficii habeant; tunc enim nullus repellitur aut contemnitur, sed quilibet seipsum repellit regligendo præsentationem vel nominationem; & si in hoc casu à majore parte nominatus sit indignus & à minori parte nominatus dignus, minor pars prævalet majori, & nominatus à minori parte est instituendus, si autem Patroni Ecclesiastici sint in votis pares & omnes nominati sint æquè digni, potest Episcopus statim alteri beneficium conferre, nec tenetur ullum ex præsentatis instituere: quia nullus præalio habet jus & in eo casu cum Patroni revera discordent, nec Ecclesiastici possint variae cap. cum autem 24. de jure Patron. potest Episcopus liberè Ecclesiæ providere cap. quoniam 3, cap. eam te 22. cap. cum propter 27. de jure Patron. si autem pares in votis sint Patroni laici, debet Episcopus exspectare, donec terminus sit lapsus & tunc Ecclesiæ providere.

*Q. 2. Intrà quod tempus est facienda præsentatio?*

*R. I. Ut possit Patronus aliquem præsentare ad beneficium, debet illud esse actu vacans, unde nequidem promitti potest beneficium non vacans, imo nec*

mandatum procuratorum alicui potest dari , ut præsenteret ad beneficium determinatum casu quo vacare contigerit , ne detur occasio captandæ mortis beneficiari , in cuius locum quis se credit successorum cap. nulla 2. cap. ex tenore 13 de concess. præbend. lib. 3. tit. 8. multo minus potest Patronus ad illud de facto præsentare , quamdiu non vacat.

2. Si beneficium vacet , à die habitæ notitiæ vacationis , Patronus Ecclesiasticus habet sex menses laicus vero quatuor menses , laicus & Ecclesiasticus simul præsentantes habent sex menses . Si vero præsententes per turnos , laicus habet 4. & Ecclesiasticus 6. menses , intra quod tempus præsentare debent idoneos , ita ut Ecclesiasticus uno idoneo præsentato alium præsentare non possit , laicus vero uno præsentato cumulativè non exclusivè alium præsentare potest , inter quos , si sint æquè idonei , Episcopus , quem voluerit instituere potest cap. cum autem 24. de jure Patronus alias ex justitiâ tenetur instituere dignorem.

3. Tempus semestre & quadrimestre non currit impeditis , nec durante lite inter Episcopum contendenter Eccl. siam esse liberam & Patronum , vel inter Patronum & præsentatum , vel inter ipsos præsentatos ; at tamen si sit lis inter Patronos , illud tempus currit , & finito termino pro eâ vice instituit Episcopus , vel prius liberè confert cap. quoniam 3. cap. si vero 12. cap. eam te 22. cap. cum propter 27. de jure Patron. in quo ultimo capitulo ita Innoc. III. Si de jure Patronatus questio emergerit inter aliquos , Et ab eo , cui competit , intra quatuor menses non fuerit definitum , ex tunc Ecclesiam ipsam de persona non differas idoneam ordinare : ita quod illi ex hoc non debeat in posterum prejudicium generari , qui evicerit jus Patronatus . Ratio est : ne Ecclesia rectore destituta damnum patiatur.

**Q. 3.** Quale jus habet præsentatus?

R. Intrà debitum terminum Præsentatus à Patrono Ecclesiastico, si sit idoneus, habet jus ut ab Episcopo vel alio instituatur; præsentatus vero à Patrono laico non statim habet jus quæsum, ut instituatur, etiamsi sit idoneus, quia, ut dictum est, Patronus laicus potest alium ipsi superaddere, & si Episcopus, non præsentatum idoneum repertum, sed alium instituat, institutio est quidem valida, sed ad instantiam Patroni annullanda, cap. ex insinuatione 14. de jure Patron. *Katio est:* quia Patronus habet jus, ut nullus contrà vel præter ejus voluntatem beneficium Patronatum obtineat, sed ille ab ordinario, quem præsentaverit, instituatur.

**Q. 4.** Quid & quotuplex sit institutio?

R. 1. Institutio non latè accepta sicut in regulâ fu-  
prà adductâ sumitur, pro quacunque legitimâ vel Cano-  
nicâ beneficii provisione, quâ titulus beneficii vel jus  
in re per superiorem Ecclesiasticum obtinetur, sive id  
fiat per confirmationem electi vel institutionem præ-  
sentati vel liberam collationem. Sed strictè accepta  
est concessio beneficii facta ad præsentationem Patro-  
ni.

2. Hæc institutio est triplex: institutio *collativa*  
*tituli*, quæ etiam verbalis nuncupatur, quâ legitimus  
superior præsentato à Patrono titulum beneficii confert,  
qui absque tali institutione beneficium obtinet, intru-  
sus dicitur. Institutio *authorisabilis*, quâ cura ani-  
marum committitur; hæc institutio authorisabilis sive  
jurisdictione concessa ad curam animarum exercendam  
est omnibus curatis necessaria, & in Parochialibus  
beneficiis omnem aliam institutionem præcedere solet.  
Institutio *corporatis* sive *realis*, quâ introducitur bene-  
ficiatus in actualem possessionem beneficii, de quâ in  
cap. ad hæc 7. de off. Archi-Diac. dicitur, quod

institutio corporalis tam super beneficiis quam etiam dignitatibus ad ipsum Archidiaconum debet pertinere.

*Q. 5.* Quænam requiruntur ad institutionem collativam tituli?

*R.* Ad institutionem collativam tituli ( quæ absolute vocatur institutio Canonica ) tria præcipue requiruntur. Imprimis ex parte instituentis legitima facultas conferendi beneficium , aut ad minus possessio bonæ fidei talis facultatis ; competit autem de jure communii potestas Episcopo confirmato etiam nondum consecrato ; sede autem Episcopali vacante capitulo cathedrali competit , etiam convenit Vicario generali : quia, ut declaravit Sacra Congregatio , ratione officii generatiū commissi potest expedire ea omnia , quæ sunt justitiæ & necessitatis ; ex jure speciali puta ex fundatione , donatione , privilegio , præscriptione , consuetudine vel statuto competit institutio prælatis inferioribus vel cumulativè cum Episcopo vel exclusivè : quia ea quæ sunt non ordinis sed pure jurisdictionis Episcopalis vel per privilegium vel per consuetudinem obtineri possunt. Trid. tamen sess. 14 cap. 12. cavit, ne in casu novæ fundationis aut dotationis hujusmodi institutio alteri ab Episcopo reservetur. Licet autem fœminæ jurisdictionis spiritualis ejus præsertim , quæ est clavum , sint incapaces , nihilominus ex privilegio Apostolico usus aliquis seu exercitium spiritualis jurisdictionis fœminis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus : ut Abbatissis : competere potest , & hoc modo privilegiatæ Abbatissæ Clericos in beneficiis Ecclesiarum pleno jure sibi subjectarum instituunt.

Deinde ex parte instituendi requiritur capacitas , quæ in præcedentibus exposita est : videlicet legitimi natales , ætas , ordo &c.

Denique ex parte modi , ut servetur debita forma à jure

jure vel consuetudine aut particularibus locorum statutis præscripta , ad hunc modum pertinet examen ab Episcopo præmittendum , quo non præmisso institutio irrita est & inanis ex dispositione Trid. sess. 25. cap. 9. de refor. pertinet etiam , ut instituens cognoscat de vacaturâ beneficij , de clarâ existentiâ juris Patronatus aut saltem ejusdem legitimæ possessionis , de habilitate præsentati , & de præsentatione factâ in tempore , tempus autem intra quod sit facienda institutio , à jure determinatum non est , nisi prætentatus sit de concursu ad Ecclesiam Parochialem , is enim ex constitutione S. Pii V. intra duos menses institui debet , alias ad Papam devolvitur , demum ad modum pertinet , ut non plures in Ecclesiis Collegiatis instituantur , quam quot commodè ex redditibus possint ali , si habeant præbendas non numeratas , si vero habeant numeratas præbendas , nec ultra nec infra numerum per statutum determinatum possunt institui , nisi redditus notabiliter sint aucti vel imminuti.

Q. 6. Ad quem pertinet institutio authorisabilis?

R. Institutio authorisabilis ( sive commissio exercitii quoad curam animarum ) quia pro objecto habet curam animarum , cui adhæret jurisdictione fori pœnitentialis , ideo illa necessario dimanat à solo Episcopo tanquam ab universalis suæ Diœcesis Parocho , potest tamen ex concessione vel ipsius Episcopi vel summi Pontificis non solum institutio collativa tituli sed etiam authorisabilis alicui collegio vel monasterio acquiri ; ut dum Episcopus concedit alicui collegio aliquam Ecclesiam cum pleno jure tam respectu spiritualium quam temporalium , & tunc utraque institutio tam collativa tituli quam authorisabilis est penes monasterium , diverso tamen modo ; quia Prælatus censetur jure proprio instituere Vicarium vel beneficiatum institutione colla-

collativa tituli; at eundem beneficiatum in cura animarum instituit per institutionem authorisabilem non jure proprio, sed alieno nempe vice Episcopi; cum Episcopus curam animarum suæ Dicecensis, quamdiu manet Episcopus, abdicare non possit, ac ita, quamvis tunc exercitium institutionis authorisabilis sit actu penes inferiorem, ipsa tamen facultas instituendi manet habitualiter penes Episcopum, qui est Pastor totius Dicecensis.

*Q. ultimò Ad quem pertinet institutio corporalis?*

R. Institutio corporalis sive installatio aut introductio in possessionem beneficii, quæ fieri solet per occupationem actualem alicujus rei ad beneficium pertinentis v.g. per traditionem clavum, introductionem in domum parochiale, de jure communi ad Archi-Daconum pertinet Cap ad hæc 7. Cap. ut nostrum 9. de off. Archid & quamvis Cap. licet 28. de præbend. in 6. Hæc corporalis investitio videatur reservata Episcopo; id tamen intelligendum non est de ipsâ missione in possessionem, sed de sententia seu decreto, quo Episcopus pronuntiat institutum in possessionem esse mittendum; hæc institutio seclusa particulari consuetudine de jure communi statim post institutionem collativam tituli potest fieri: quia per eam consequitur quis titulum beneficii, adeoque jus seu facultatem possessionem capiendi, & jura omnia ejusdem beneficii exercendi.

§. 2.

*De modo obtainendi beneficia per electionem & confirmationem.*

Ecclesiis Collegiatis Rectore destitutis ordinariè providedetur per electionem ut dicitur in Cap. nullus 1. de elect. Lib. 1. tit. 6. *Nullus in Ecclesia, ubi duo vetores fratres fuerint in congregacione, nisi eorum ele-*

*ctione*

*Etione Canonicâ, presbyter eligatur. Obtinetque electus jus sive titulum beneficii per confirmationem.*

*Q. 1. Quid sit electio?*

*R. Electio est personæ idoneæ ad Ecclesiæ vacantis pastoralem dignitatem per eorum, quibus id competit Canonica suffragia vocatio. Exponuntur singula:*

*Dicitur 1. personæ idoneæ: quia debet eligi dignus, sive sit de gremio Ecclesiæ sive extraneus, electio indigni, præterquam quod sit invalida, & si fiat scienter aut cum ignorantia vincibili, graviter illicita, inducit obligationem restituendi damage Ecclesiæ ex tali temerariâ electione secuta, ut enim dicitur in Cap. fin. de injur. lib. 5. tit. 36. Si culpâ tua datum est damnum vel injuria irrogata... aut haec imperitia tua sive negligentia evenerunt: jure super his satisfacere te oportet. Inducit etiam in electo obligationem ad dimittendam Ecclesiam, quam sine præjudicio vel Ecclesiæ vel animarum administrare non potest, prætereà scienter eligentes indignum eâ vice sunt privati suffragio Cap. cum in cunctis 7. §. fin. de elect. & suspenduntur per triennium ab omnibus beneficiis Ecclesiasticis, quæ in illâ Ecclesiâ habent, quam per talem electionem offenderunt, Cap. cum in cunctis cit. & Cap. perpetuo 7. Cap quamquam 18. Cap. si compromissarius 37. de elect. in 6. attamen ad has pœnas incurendas debet ex tali suffragio communis electio esse secuta.*

*Dicitur 2. Ad Ecclesiæ vacantis: quia priusquam agatur de electione Prælati, debet Ecclesia actu suo Pastore esse viduata vel per mortem naturalem vel civilem puta renuntiationem à superiore acceptatam, vel per legitimam translationem ad aliam Ecclesiam; deinde licet non sit de necessitate, est tamen de honestate, ut corpus defuncti Prælati sit tumulatum, antequam procedatur ad novi Prælati electionem, ut colligitur*

ex Can. nullus 7. dist. LXXIX & Cap. bonæ 36. de elect. igitur Ecclesia vacante procedendum est ad electionem & quidem intrà tres menses in Ecclesiis Cathedralibus & regularibus , in aliis vero Ecclesiis intrà sex menses, nisi justum aliquod obstet impedimentum Cap. ult. de elect. alias jus eligendi pro illâ vice amittitur & ad immediatum superiorem devolvitur Cap. ne pro defectu 41. de elect. qui superior intrà alios sequentes tres vel sex menses Prælatum ex gremio Ecclesiæ vacantis, si ibidem dignus reperiatur, debet eligere, quo iterum negligente jus ad sequentem superiorem devolvitur gradatim usque ad summum Pontificem.

*Dicitur* 3. Per eorum quibus id competit &c.  
Tales autem sunt præter membra Collegii omnes illi qui vel pacto vel privilegio vel consuetudine jus suffragii obtinuerunt Cap. cum dilectus de consuetud. lib. 1. tit. 4. Cap. cum Ecclesia 3. de Caus. possell. & proprietat. lib. 2. tit. 12. Cap. bonæ 4. de postulat.

*Q. 1.* Quinam non possunt dare suffragia in electione Prælati :

*R. 1.* Sequentes: 1mò. Prælatus vivus, qui successorem eligere non potest Can. Episcopo non liceat 4. Caus. VIII Q. 1. 2dò sacris Ordinibus non initiati. 3tò. Regularis non professus aut laicus Cap. cum ex eo 32. §. fin. de elect. in 6. nisi privilegio vel particulari statuto conversi votum habeant. 4tò. Notoriè excommunicatus non toleratus Cap. constitutis 23. de appell. lib. 2. tit. 28. J. G. V. excommunicationis. Cap. un. ne sede vacante in 6. lib. 3. tit. 8. quia talis privatus est omni exercitio jurisdictionis & officii arg. Cap. cum inter 16. de elect. ut datum suffragium ipso jure irritum sit, quinimo si cæteri Capitulares excommunicatum non toleratum ad electionem scienter admitt-

mittant, electionem nullam esse colligitur ex Cap. ille 3.  
de elect. Excipitur electio summi Pontificis, in quâ ob  
periculum schismatis etiam suffragia Cardinalium nomi  
natim excommunicatorum admittuntur Clement. ne  
Romani 2. § cæterum de elect. lib. 1. tit. 3. suffragium  
excommunicati tolerati, multò magis occulti valer,  
quamdiu à cæteris Capitularibus contrà sic excommu  
nicatum non excipitur. 5tò. Suspensus vel specialiter  
vel ab officio, de quo ratiocinandum est ut de excom  
municato, sed suspensus à beneficio vel ab exercitio Ordini  
num non impeditur dare suffragium in electione Præla  
ti. 6tò. Infames infamia juris, postquam per senten  
tiā Judicis tales declarati, ideo qui commisit factum,  
ob quod ipso jure incurritur infamia, adhuc validè eli  
git, dum nullo ex Coëlectoribus excipiente ad electio  
nem admittitur. 7mò. Per sententiam privatus voce  
activâ, & talis ab electione expelli potest etiam cum  
violentia, cum talis expulsio non tam sit illatio violen  
tiæ quam defensio possessionis, quam talis turbare ni  
titur prætendendo votum in electione Arg. Cap. si ve  
ro 3. de sent. excomm. lib. 5. tit. 39. ibi : *cum vim vi  
repellere omnes leges, omniaque jura permittant, qui  
ob delictum aliquod privatus est voce activâ v.g regu  
laris qui commisit Apostasiam & per sententiam non  
dum est declaratus tale crimen commisisse, si cum aliis  
nullo reclamante eligat, electio est valida, quod si in  
tali casu quis ante electionem reclamet, & velit eun  
dem ab electione excludere, postquam Confirmatori  
constat de veritate oppositi criminis, electio declaran  
da est nulla, si in vim talis suffragii aliqua persona à  
majore parte Capituli sit electa. 8vò. Laici, qui nec  
soli nec cum aliis Clericis etiam consentientibus in elec  
tione suffragium dare possunt Cap. quisquis 43. de  
Cap. massana 56. de elect. adeo ut consentiens electio  
ni de se factæ, eo ipso fiat inhabilis ad omnem Præla  
turam*

turam, & ipsi Clerici cum laicis coëligentes priventur potestate eligendi, talis electio dicitur facta per abusum potestatis sacerdotalis; his tamen non obstantibus à jure non reprobatur consuetudo, ut electio perfecta præsentetur patrono laico v.g. Principi. Cap. cum terra 14. Cap. quod sicut 28. Cap. sacrosancta 51. de elect. aut quod Patroni laici per se vel suos commissarios electoribus assistant, ut eos ab exterrâ violentiâ defendant. 9nò demum impuberes Cap. ex eo 23. de elect. in 6. & multo magis furiosi & mente capti.

*Q. 2. Quænam sint facienda antequam ad electionem procedatur?*

1<sup>o</sup>. Antequam fiat electio 1<sup>m</sup>o. determinanda est dies electionis ab iis, ad quos electio pertinet, communiter in capitulo congregatis, nisi ex consuetudine vel speciali statuto determinatio diei novæ electionis pertineret ad seniorem vel decanum, aliumve superiorem.

2<sup>d</sup>o. Dies determinata intimanda est omnibus absentibus, qui debent, volunt & possunt commodè interesse electioni, & hæc citatio facienda est singulariter & personaliter, si sciatur, ubi electores degant, aut per litteras, aut per nuntium; si non sciatur, ubi sint absentes capitulares, per edictum publicum valvis Ecclesiæ affixum, o bet fieri generalis citatio; quanta autem debeat esse distantia loci, ultrà quam absentes non sunt necessario vocandi: communior sententia tenet, quod omnes vocandi sint, qui existunt intrà provinciam, non autem qui extrà provinciam morantur: ut colligitur ex cap. coram 35. de elect. vel potius attendendum est ad consuetudinem cuiusque loci; quod si vocati intrà terminum competentein, in quo si voluissent, potuissent esse præsentes, non compareant, non sunt ulterius expectandi cap. cum inter 18. de elect.

elect. si verò unus vel plures non fuerint vocati , cum  
vocari potuissent & debuissent , tunc , si pauciores  
quam duæ tertiæ capitularium , iis solum numeratis,  
qui debent , volunt & possunt commodè interesse ,  
ad novam electionem processerint , electio peracta  
est ipso Jure irrita , non propter contemptum vocan-  
dorum , sed ob defectum potestatis eligendi : quia  
vis & potestas capitularis residet ad minus in duabus  
partibus capituli sive eorum capitularium , qui de-  
bent , volunt & possunt commodè interesse ; si verò  
duæ tertiæ capitularium ad electionem processerint ,  
& major illorum pars personam idoneam elegit ,  
quainvis unus vel plures ex vocandis sint contempsi ,  
electio est valida juxta cap. cum nobis 19. de elect.  
possunt tamen capitulares contempsi unus vel plu-  
res prosequi contemptum , & petere , ut electio ip-  
sis non vocatis facta per superiorum rescindatur ; quia  
ipsis contemptis est facta injuria , quod absque suffi-  
ciente causâ ab electione per omissionem citationis  
sunt exclusi ; de hac injuria non solum ipse contemp-  
tus , sed etiam eo mortuo successor in dignitate ag-  
re potest , & petere rescissionem electionis f. c. t. e ,  
dummodo Jus eligendi competit ratione dignitatis ;  
quia tunc inuria contempiūs censetur illata prælatu-  
ræ , quæ cum Prælato non extinguitur ; secus est ,  
si contempto ratione præbendæ competit Jus eligen-  
di ; quia Jura canonici mortuo capitulari transiunt  
ad capitulum , sitamen hoc jus contempiūs expri-  
sè vel tacite remiserit ; ut : si habens notitiam elec-  
tionis factæ , confirmationem non voluerit impe-  
dire : non potest superior , ad quem spectat confir-  
matio , electionem ex officio rescindere : quia quan-  
do non de publico sed privato interesse agitur , non  
potest Judex ex officio supplere Jus illius , cui in-  
terest , si ille remittat aut non protegat Jus suum.

3tiò. Absentes, qui vel propter nimiam distan-  
tiam vel propter aliam incidentem causam commo-  
dè electioni interesse non possunt, ad electionem  
non sunt necessario vocandi, ità quoque si in com-  
modum sit Ecclesiæ vocare aliquem, ut: quia est ne-  
cessitas accelerandi electionem ob periculum schil-  
matis, ob metum abusûs sacerdotalis potestatis, absentes  
vel non sunt vocandi, vel si sint vocati, non sunt ex-  
spectandi, ne Ecclesia ob inoram dāminū patiatur.

Denique qui vocatus & legitimè citatus, ob ju-  
stum aliquod impedimentum personaliter electioni  
interesse non potest, non potest absens eligere, sed  
potest constituere procuratorem, qui nomine suo  
eligit, circà quem procuratorem.

*Q. 3. Qualiter absens eligere potest per pro-  
curatorem?*

*R.* Imprimis debet procurator habere speciale  
mandatum jurandi in animam constituentis, quod  
is ob justum impedimentum personaliter electioni  
interesse nequeat, quod Juramentum possunt ca-  
pitulares remittere, modò omnes consentiant, quia  
si unicus dissentiat, debet hoc Juramentum emitte,  
cum agatur de Jure singulorum, ut videlicet alicu-  
jus non impediti procurator ad eligendum cum aliis  
admittatur.

Deinde non debet absens procuratori suum suf-  
fragium dare in scriptis: ut Procurator tantum exhibeat  
illud votum in ipso electionis actu, sed debet Procura-  
tori committere, ut ipsius nomine certam vel incertam  
personam eligat, quia non ante electionem, sed in ipso  
actu elec̄ti nis singulorum vota sekretè & sigillatim sunt  
excipienda cap. si quis justo 46. §. absens 3. de elect in 6.

Item possunt unus vel plures Procuratores co-stitui  
vel ex gremio Ecclesiæ vel extra gremium, si Capitu-  
lum consentiat in admissionem extranei. Si plures sint

con-

constituti Procuratores, non admittuntur aliter, quam si singuli sint insolidum constituti, qui si simul ad votum in electione præstandum concurrant, melior est conditio præoccupantis, at nullo præoccupante, is est admittendus, qui prius nominatus fuit in instrumento Procuratorio Cap. si quis justo cit.

Demum Procurator ex Collegio eundem quem suo nomine eligit, debet etiam nomine Procuratoris elegere, nisi speciale mandatum habeat de eligendo aliquo in individuo. cit. Cap. si quis justo §. porro 2.

Q. 4 Quotuplex sit forma in electione servanda?

R. 1. Forma accidentalis quæ quidem in locis, ubi consuetudine recepta est, servari debet, attamen ad substantiam electionis non requiritur, ut eâ omissâ nihilominus valida sit electio, consistit in his 1. ut in die electionis ab electoris præside celebretur missa de Spiritu sancto & sub eâdem omnes electores sacram communionem sumant. 2. Ut hora electionis per majorem campanam significetur, quâ omnes electores ad Capitulum convocentur, de quo Cap. in causis 30. de elect. 3. Ut per hymnum : *veni Creator* : invocetur gratia Spiritus sancti. 4. Ut protestetur quis nomine Capituli nullum esse admittendum, qui non habeat jus eligendi. 5. Ut ad cautelam absolvantur electores ab excommunicatione aliisque Censuris. 6. Ut jurent se secundum conscientiam electuros, quem judicaverint dignorem & Ecclesiæ utiliorem.

2. Forma substantialis est triplex: scrutinii, compromissi inspirationis, vel quasi inspirationis, quibus additur modus compromissi mixti, de quo in Cap. cum dilectus 32. de elect. Cap. si cui 23. Cap. cum expeditat 29. eod t. in 6. Delumuntur autem prædicti tres eligendi modi ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. quod ita in Cap. quia propter 42. de elect. Cujus utpote singulariter in electionibus Episcoporum aliis-

que secundum rigorem juris regulandis respiciendi hæc sunt formalia: quia propter diversas electionum formas, quas quidam invenire conantur, & multa impedimenta proveniunt & magna pericula imminent Ecclesiis viduatis: statuimus, ut cum electione fuerit celebranda, presentibus omnibus, qui debent & volunt & possunt commodè interesse, assumuntur tres de Collegio fide digni, qui secretè & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi: nullo prorsus appellationis obstatculo interjecto: ut is collatione habita eligatur, in quem omnes vel major & senior pars Capituli consentit. Vel saltens eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Ecclesiae viduatae provideant de Pastore. Aliter electione facta non valeat: nisi forte communiter esset ab omnibus, quasi per inspirationem absque vicio celebrata, qui verò contrà præscriptas formas eligere attentaverint, eligendi eâ vice postestate priventur §. 1. Illud autem penitus interdicimus, ne quis in electionis negotio Procuratorem constituat, nisi sit absens in eo loco, de quo debeat advocari, justoque impedimento detentus venire non possit: super quo, si opus fuerit, fidem faciat juramento: & tunc si voluerit, uni committat de Collegio vicem suam §. 2. Electiones quoque clandestinas reprobamus, statuentes, ut quamcùm electio fuerit celebrata, solemniter publicetur. Ut hoc Capitulum tanquam fundamentalis Regula in electionibus strictè canonicis servandum pleniùs intelligatur.

*Q. 5. Quomodo sit facienda electione per scrutinium?*

*R. 1. Electio per scrutinium est, quando præsentibus omnibus, qui debent & volunt & possunt commodè interesse, assumuntur tres de Collegio fide digni, qui secretè & sigillatim vota cunctorum diligenter exqui-*

exquirant, & in scriptis redacta mox in communi publicent, ut is collatione votorum inter se communiter facta, eligatur, in quem omnes vel major & senior Pars Capituli consenserit, hic modus, licet præ ceteris sit difficilior, attamen est communior, & quatuor partes principales habet. 1mo. Constitutionem scrutatorum. 2do. Eorundem in scrutinatione officium. 3to. Suffragiorum collationem. 4to. Decretum communis electionis.

2. Proceditur igitur per viam scrutinii incipiendo à Constitutione scrutatorum, ita, ut omnibus, qui sunt de Collegio eligentium, præsentibus constituantur tres, non plures nec pauciores, nisi propter paucitatem eligentium tot haberi non possent, fide digni minimè de collusione suspecti, de quâ fide ut magis certi sint eligentes, usu in multis Ecclesiis receptum est, ut priùs Juramentum in manibus ejus, qui electioni præest, aut alterius ex præsidis commissione, præstent de officio fideliter peragendo & secretis non revealandis; possunt hi scrutatores à Capitulo etiam te non amplius integrâ revocari, cum ipsorum non intersit, sed totius Capituli electionem perfici: deinde scrutatores constituti pergunt ad collectionem suffragiorum, in quâ secretè, sigillatim, diligenter & ordinatè singulorum vota exquirant, secretè, ut suffragium cuiuslibet coram scrutatoribus aut vivâ voce aut scripto exprimitur, sigillatim, ut suffragium cuiuslibet seorsim ab aliis, qui de Collegio sunt, excipiatur; diligenter, factâ adjuratione interrogando: quare consentiant in talem personam, quo zelo, ob quæ merita; ordinatè, ut incipient ab eo, qui electioni præest, si sit de numero eligentium, aut à propriis personis scrutatorum, ita ut duo scrutentur tertium, & inquisitis scrutatorum votis juxta gradus dignitatum & præcedentie omnia vota à primo usque ad postremum exquirant

etiam infirmorum, qui ad locum electionis accedere non possunt & (quod melius est) per Procuratorem non comparent, licet etiam ob multitudinem eligentium eodem tempore collectio votorum absolvi non possit, interruptio non obest valori electionis, sed reassumenda est inquisitio, ut nullius votum prætermitatur, quæ vota ita excepta à scrutatoribus vel à Notario præsente in scriptum redigentur. Votis omnibus exquisitis collatio suffragiorum facienda est hoc modo: imprimis debent publicari vota in communi dicendo: tot fuisse electores, tot in unam personam convenisse non nominando personam, in quam consenserunt, nec illos qui consenserunt, hujus publicationis effectus est, quod electores non possint amplius variare: quia iam functi sunt suo officio, ita Greg. IX. Cap. 58. de elect. *Publicato scrutinio variare nequeunt electores, cum sit facienda collatio & electio celebranda, ad quod per superiorem, si oportuerit, compellantur.* Ubi Gl. quia ex quo quasi cœptum negotium est per consensum præstitum in scrutinio, necesse est consummare. Ratio ulterior est: ne Ecclesia ob tales variationes detrimentum patiatur; attamen hæc variatio licet, si pro nullo sit majoritas votorum, aut si majoritatem votorum habens expressè vel tacite juri suo renuntiet, aut si appareat electum esse indignum, sicut etiam, si aliquis contemptus petat, ut novum scrutinium fiat. Deinde debet à scrutatoribus fieri collatio numeri ad numerum, zeli ad zelum, hoc est: debet expendi, quis plura vota habeat, & quæ sit intentio suffragantium pro unâ vel alterâ personâ, item meriti ad meritum, factâ relatione inter nominatos; quis melior vel utilior Ecclesiae sit, ut sciatur, in quam personam consenserit pars sanior capitularium, cum ad electionem non sufficiat, quod major pars consentiat, sed debet major & sanior pars consentire, nisi ab unâ parte esset numerus duplo

plo major, tunc enim major pars prævalet saniori cap. si quando 9. de elect. in 5. vota incerta, conditionata, alternativa rejiciuntur velut invalida cap. 2. de elect. in 6. desumpto ex Con. Lugdun. in quo ita : *in electionibus & postulationibus ac scrutinis, ex quibus jus oritur eligendi, vota conditionalia, alternativa vel incerta penitus reprobamus, statuentes, ut hujusmodi votis pro non adiectis habitis ex puris consensibus celebretur electio : voce illorum, qui non pure consenserint, ea vice in alios recidente.* Facta publicatione scrutinii & mox subsecutâ suffragiorum collatione, facienda est communis electio per unum ex scrutatoribus vel capitularibus ad hoc deputatum, qui in numero singulari dicit: ego nomine meo & omnium mihi consentientium talem personam eligo in Prælatum hujus Ecclesiæ ; hæc communis electio est de substantiâ electionis.

Porrò deducta forma scrutinii strictè servanda est juxta Gl. in cap. quia propter V. Ecclesiis viduatis, in electionibus eorum Prælatorum: quorum morte Ecclesiæ dicuntur viduatæ, quales sunt Episcopi & Prælati tum sœculares tum regulares, qui habent iurisdictionem generalem & ordinariam in Ecclesiis collegiatis. In aliis verò dignitatibus & personatibus sufficit, quod electio fiat qualitercumque per majorem & saniorem partem capituli juxta eandem Glos. in cap. sicut 21. de elect. in 6. V. formam.

*Q. 6. Quomodo facienda sit electio per compromissum?*

*R. 1. Electio per compromissū est, quando eligendi potestas univelduobus vel pluribus viris idoneis sive de collegio sive extraneis ab omnibus, qui Jus eligendi habent, committitur ut vice omnium eligant. Dixi ab omnibus: quia ad hunc modum requiritur omnium omnino consensus: agitur enim de Jure singulo-*

tum in aliū transferendo , in quo valet R. J. 29  
in 6. quod omnes tangit , debet ab omnibus approbari  
& 56. in re communi potior est conditio prohibentis  
Quod si omnes nullo contradicente consentiant , ut  
fiat electio per compromissum , ut videlicet pote-  
stas eligendi in unum vel plures transferatur , non  
est necessarium , ut omnes consentiant in quemli-  
bet ex compromissariis , sed electio facta à majori  
parte prævalet.

2. Si compromissum fiat absolute , compromissarii  
quemcumque habilem etiam extraneum eligere pos-  
sunt juxta Glossam in cap. cum electus 32. de elect. V.  
de gremio . si fiat cum limitatione , tunc compromissa-  
rii exactè limites in compromisso positos observare  
debent cap. cum in veteri 52. de elect. uti etiam  
contingit in compromisso mixto , quod consistit in  
hoc , quod potestas eligendi committatur , ut illum  
eligant , in quem exquisitis particulariter omnium vo-  
tis vel omnes capitulates vel major & senior eo-  
rum pars respective ad totum capitulum consenserit .  
Si compromissarii plures inter se discordent ,  
debet ille eligi , in quem major pars compromis-  
sorum respectivè ad totum numerum consenserit  
cap. sicui 23. de elect. in 6. in quo ita : si cui eligen-  
di potestas data fuerit sub hac forma , ut ipse secretò &  
sigillatum votis singulorum de capitulo exquisitis , & in  
scriptis redactis illum eligat , in quem plures de capitu-  
lo partium comparatione minorum consenserint , liceat  
consentientes majorem partem totius capitulo non attin-  
gant : ipseque facto hujusmodi scrutinio & in scriptis re-  
dacto , juxta traditam sibi formam eum , in quem  
non major pars , sed plures de dicto capitulo , quam in  
quenquam alium direxerant vota sua , duxerit eligen-  
dum : talis electio ( cum præter formas , quas genera-  
le Concilium servari statuit in electionibus celebrandis ,  
decer-

decernenseas, si aliter fierent, non valere, fuerit attentata) robur non obtinet firmitatis; & quidem electio communis debet fieri ab uno compromissario rum: quia electio per compromissum est etiam capitularis electio.

3. Si plures sint compromissarii ( nisi hoc specia-  
liter sit prohibitum ) possunt unum ex se ipsis elige-  
re qui tunc accedendo vel consentiendo suæ electio-  
ni facit majorem partem cap. cum in Jure 33. de elect.  
quo casu duo necessaria sunt: imprimis ut compro-  
missarius prius ab aliis sit electus, ut non se censca-  
tur eligere, sed electioni de se factæ consentire,  
deinde ut consentiendo constituant majoritatem vo-  
torum respectu omnium eligentium; ex quo sequi-  
tur: quod unus compromissarius se eligere non possit,  
quia non potest aliorū electioni de se factæ accedere.

4. Compromissum re adhuc integra ( nisi fuisset  
factum in gratiam compromissarii ) potest revocari  
cap. in causis 30. de elect. res autem non est integra,  
quando compromissarii de electione tractare cœpe-  
runt, non verò si aliqua solennitas præparatoria v. g.  
Missa de Spiritu Sancto: præcesserit.

5. si compromissariorum electio propter indigni-  
tatem vel non acceptationem electi non habuit effe-  
ctum, ad novam electionem compromissarii ne-  
queunt procedere: cum sint functi officio suo, at-  
tamen compromittentes eligere adhuc possunt; si  
verò compromissarii negligant eligere intrà debitum  
tempus, potestas eligendi non ad compromittentes  
utpote etiam negligentes in hoc, quod vel compro-  
miserint in tales morosos, vel illos non urserint, sed  
ad superiorem pro illâ vice devolvitur cap. si com-  
promissarius 37. de elect. in 6.

Q. 7. Quando fit electio per viam Spiritus Sancti?

Bz. Si non observatis formis Jure positivo inductis

eligatur per inspirationem & per designationem miraculosam Prælatus Ecclesiæ designetur , ut factum in S. Nicolao Episcopo Myrensi , S Ambro-  
sio Episcopo Mediolanensi , S. Gregorio Magno Papa , vel per quasi inspirationem , quando omnes electores nullo præcedente tractatu absque conven-  
tione & conspiratione in unam personam quasi ex impulsu Spiritus Sancti consentiunt , uterque modus hodie rarus est .

**Q. 8.** Quid si inter electores tempore electionis oriatur discordia ?

**R.** Si ortâ discordiâ inter capitulares aliqui exive-  
tint , & redire nolint , cum reliqui dummodo fa-  
ciant duas partes capituli , aut ad minus majorem  
partem , possunt sine aliis ad electionem procedere .  
*Ratio est* ; quia quando est dissensio inter capitula-  
res , ibi censetur esse capitulum , ubi est major pars  
capitularium legitimè congregatorum , & postquam  
collegium semel fuit legaliter congregatum , debet  
stari Judicio majoris & senioris partis capituli cap.  
1. de his , quæ sunt à majore parte capit . & hic est  
casus cap. cum nobis 19. de elect. econtra si major  
pars capitularium legitimè congregatorum ex capi-  
tulo exeat , pauciores relicti non possunt procedere  
ad electionem . Tres tamen excipiuntur casus . 1 mus:  
Si appropinquet terminus à Jure præfixus ad facien-  
dam electionem . 2 dus : Si periculum sit in ulteriori  
morâ . 3 tius : Si ex consuetudine vel statuto unus de  
capitulo v. g. Senior vel Decanus habeat determina-  
re diem electionis , in his casibus , si aliqui electo-  
rum vel venire nolint , aut postquam venerunt abs-  
que sufficienti causâ recedant , alii capitulares pau-  
ciores , qui remanent , imò etiam unicus ad elec-  
tionem procedere potest .

**Q. 9.** Quid sequitur electionem ?

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS. 699

¶. Post electionem hæc sunt facienda.

1<sup>o</sup>. Electio in capitulo facta, populo in Ecclesia publicatur.

2<sup>o</sup>. Si electus sit absens, electores quamprimum possunt, electo electionem factam præsentant, ejusque consensum requirunt, quod ultrà octo dies differre nequeunt cap. quam sit 6. cap. cupientes 16. §. cæterum de elect. in 6. ibi cæterum si eligentes electiones ipsas concorditer vel in discordia celebratas intrà octo dies, postquam commode poterunt, electo præsentare distulerint ipsos, qui culpabiles in hoc extiterint (quoad se) à processus prosecutione totaliter excludentes omnibus beneficiis suis, que in ipsa Ecclesia, de cuius electione agitur, obtinent, per triennium continuum ex tunc inchoandum volumus eo ipso fore suspensos: ad quæ si intrà illud tempus se propriâ temeritate vel alio quæsito colore ingesserint, illis ipso jure perpetuò sint privati.

3<sup>o</sup>. Electus præviâ maturâ deliberatione, ne videatur ambitiosus & magis lanam quam oves quærere, intrà mensem à die electionis præsentia: vel, si non sit persona libera, à die habitæ licentiæ (quæ licentia ante electionem provisionaliter petita & obtenta foret nulla Clement. cum concessa 8. de elect.) à suo superiore, cui est subjectus cap. religiosus 27. de elect. in 6. dat consensum in electionem.

4<sup>o</sup>. post hæc sequitur solemnis gratiarum actio per Hymnum Ambrosianum, & intereà electus in thronisatur, vel si electus sit ad Episcopatum, imponitur Altari, electus ad inferiorem Prælaturam deducitur ad stallum competens novæ dignitati

5<sup>o</sup>. Demum expeditur decretum electionis subscriptum ab electoribus & signatum sigillo capituli, in quo authenticè continetur actus totus & proce-  
sus

tus electionis pro obtainendâ electionis confirmatione. De quâ

**Q.** Ultimò qualiter necessaria sit , & quo modo concedenda electionis confirmatione ?

**R.** 1. Confirmationio est approbatio electionis canonice ad Prælaturam facta per superiorem ad id potestatem habentem ; omnis electus , excepto summo Pontifice in terris superiorum non recognoscente , indiget confirmatione , quâ in veriore canonistarum sententia acquiritur titulus Prælaturæ , cum iurisdictio muneri Prælati annexa habeti non possit , nisi à superiore , qualis non est eligens , sed confirmans . Hanc confirmationem superior cognitâ electione Canonicâ de personâ habili præstare debet , & si moram trahat , aut eam injustè neget , ad ejus superiorem habendus est recursus , qui potest & debet illum compellere præfigendo terminum , intra quem si non confirmet , ipse superior ex jure devoluto potest dare confirmationem , & hic sensus est axiomatis : eligere est libertatis & confirmare necessitatis .

2. Si electio sit nulla ob defectum juris humani , natur defectus electionis per confirmationem , si confirmans possit & velit illum defectum sanare , quod facere censemur , si talis superior tales generales clausulas confirmationi inserat ; confirmamus ex certâ scientiâ , vel supplentes ex plenitudine potestatis omnem defectum ; cum alias , si electio sit vitiosa , & confirmans vel non possit , vel , cum non sciat defectum , non velit dispensare , confirmationio non sanat electionem defectuosam & valet axioma : ubi electio vitiosa est & non tenet , confirmationio non prodest .

3. Electus à superiore immediato ( saltem de jure communi ) debet petere confirmationem , postquam consensit in electionem vel per se vel per procuratorem intra tres est menes cap . quam sit 6. de elect . in 6. & qui .

quidem si eadem persona duobus modis sit electa v. g. per compromissum vel scrutinium debet determinare, quam ex duabus electionibus petat confirmari, quâ semel determinatâ non potest regredi cap. ut quis 25. de elect. in 6. si cessante justo impedimento intra tres menses non petat electus confirmationem, omne jus perdit, & capitulum habet facultatem novum eligen- di, ac si de novo contigisset vacatio cap. si electio 26. de elect. in 6. *Dummodo nil fraudulenter egerint in præmissis ut additur in cit. cap. electi ad Prælaturas in Ecclesiis cathedralibus & regulatibus confirmandi à summo Pontifice debent intra unum mensem, post præstitum consensum in electionem à capitulo præsen- tam electo vel ab electo aliundè cognitam, iter arripere ad sedem Apostolicam pro petendâ confirma- tione & causâ electionis prosequendâ cum actis & mo- mentis causæ cap. cupientes 16. de elect. in 6.*

4. Ante confirmationem debet confirmans statim pe- titâ confirmatione processum pro confirmatione inchoa- re, & inquirere de formâ electionis, meritis & qualitate electi, quamvis nullus sit opponens, & electus sit integræ famæ; si electio facta sit in discordiâ vel electus habeat coelectum, vel aliquem ex electoribus aut aliundè patiatur adversarium, qui contra electionem vel sunt protestati vel appellarunt, omnes hos nomi- natim citare debet confirmans ante confirmationem, ut eorum oppositiones cognoscat; si vero electio sit concors, per generale edictum ad valvas Ecclesiæ, in quâ celebrata fuit electio, assigendum, contradictores, si qui sunt, peremptoriè sunt citandi, ut statuto die & loco, si quid causæ habeant ad impediendam confir- mationem dicant; confirmatio facta vel non vocatis vo- candis vel absque causæ cognitione vel inquisitione, etiam si nullus extet contradictor, est invalida juxta cap. fin. de elect. in 6, debet autem confirmans attendere

an persona electa sit digna , alias indignum confirmans per negligentiam ( de quâ constet ) maximè si sit insufficiens scientiæ , in honestæ vitæ vel illegitimæ ætatis , est ipso jure privatus potestate confirmandi Primum illius successorem , & præterea à proprii beneficii perceptione est suspendendus , quamdiu superiori visum fuerit . Si vero convictus fuerit in hoc per malitiam excessisse , graviori subjaceat ultioni cap. nihil 44. de elect. Dixi supra : esse citandos qui contra electionem sunt protestati vel appellarunt : quia excepto electore , qui electo suum suffragium dedit cap. nulli 8. de elect. in 6. Nisi ex causis postmodum emergentibus .. vel nisi ei morum ipsius antea celata de novo pandatur improbitas ; seu alicujus alterius latentis vitii , vel defectus , quæ verisimiliter ignorare potuerit , veritas reveletur , de hujusmodi autem ignorantia fidem faciat proprio juramento . Excipitur etiam Prælatus renuntians Prælaturæ , qui contra electionem novi Prælati appellare non potest cap. cum inter 16. de elect. alias potest omnis cuius interest , justâ de causâ se electioni opponere , & contra illam ad legitimum superiorem appellare , quâ appellatione ante perfectam electionem interpositâ , vel ne electio simpliciter fiat , vel ne in eâ ulterius procedatur , debent capitulares ab electione desistere , & superioris de appellatione cognoscentis judicium exspectare , nisi appellatio manifestè sit frivola . electio tamen non obstante appellatione facta est valida , donec à superiore cognitâ legitimitate appellationis rescindatur cap. consideravimus 10. de elect. si oppositio vel appellatio fiat post electionem , servanda sunt omnia exactè quoad formam oppositionis , expressionem impedimenti ex parte electi , determinacionis defectus ex parte formæ eligendi &c. quæ prescribuntur in lib. 6. decretalium de elect. cap. statuimus 1. cap. ut circâ 4. cap. quamvis 10. cap. si forte 11. cap. pro-

providâ 44. & Clem. causam 3. & Clem. constitutio-  
nem 4. de elect.

5. Electus de jure communi sub nullo prætextu se administrationi nec in spiritualibus nec in temporalibus ingerere valet ante confirmationem , alias præterquam , quod omnes actus sint irriti , ipso jure perdit omne jus per electionem acquisitum cap. nosti 9. cap. qualiter 17 de elect. cap. avaritiæ 5. eod. tit. in 6. à quâ regulâ est duplex exceptio : imprimis : Abbatissa electa quidem à majori parte , quæ tamen neque in scrutinio neque post apertum scrutinium per accessionem partis minoris ad majorem ( quod in electionibus inferiorum Prælatorum fieri posse sustinent Canonistæ ) duas partes votorum habuit , dum interea superior cognoscit de validitate electionis , administrare potest plenè in spiritualibus & temporalibus , dummodo nihil de rebus monasterii alienet , neque aliquam ad habitum regularem admittat juxta cap. indemnitatibus 43. §. 1. de elect. in 6. nisi pars opponentium extiterit duplo major tunc enim administrare non potest , sed debet exspectare eventum litis. §. 2. cap. cit. Deinde Episcopi aliique Prælati immediate Papæ subjecti , à quo debent petere confirmationem , si à curiâ Romanâ sint valdè remoti , uti omnes extra Italianam existentes , dummodo in concordiâ sint electi . administrare possunt , ita tamen ut de rebus Ecclesiæ nihil alienent cap. nihil 44. de elect. illi autem dicuntur in concordiâ electi , in quos major & senior pars capituli consensit , & per talem consensum in scrutinio factum mediante communi electione unicè sunt electi , minori parte huic electioni non contradicente , quamvis in scrutinio ab omnibus suffragatoribus , excepto proprio voto : non sint nominati ; post confirmationem possunt omnes Prælati actus prælaturæ annexos exercere , excipiuntur actus ordinis Episcopalis ,

quos

quos Episcopi ante consecrationem , quam intra tres menses à die habitæ confirmationis suscipere debent, juxta Glos. in cap. cum in cunctis 7. V. tempore exercere non possunt , excipiuntur etiam actus Episcopales quos exercent Abbates habentes usum pedi & mitræ ex privilegio , hos eniim ante benedictionem ab Episcopo acceptam exercere non possunt arg. cap. 1. de supp. neglig. prælat. lit. 1. tit. 10. cap. cum contingat 11. de ætate & qualitate & ordine præfic. lib. 1, tit. 14.

Demum si casetur confirmatio , ut si , postquam à confirmatione appellatum , judex ad quem est appellatum, declareret vel pronuntiet confirmationem esse nullam , per hoc non evacuatur electio : quia ex pluribus causis confirmatio potest esse invalida ; ut si confirmans non habuerit potestatem , vel confirmaverit absque inquisitione & citatione , ex quibus tamen electio non est invalida , modo alias Canonicè sit facta,

### §. 3.

#### *De modo obtinendi beneficia per postulationem & ejus admissionem.*

Accessorius electioni modus ad dignitates promovendi est postulatio , eò quod sæpè ob inhabitatem quædam persona propter naturæ & gratiæ dona utilis Ecclesiæ eligi non possit , in subsidium adhibetur postulatio. De quâ

*Q. 1. Quid est postulatio ?*

*R. Postulatio est petitio capituli facta superiori , ut personam , quæ propter impedimentum Canonicum ad Prælaturam vel dignitatem est ineligibilis , ad eandem dispensativè admittat.*

Explicantur singula: *Dicitur 1. petitio : quia postulatio non innititur juri , sicut electio , quæ acceptata confert electo jus ad prælaturam , sed innititur gratiæ ,*

ita

ita ut absque ejusdem injuriâ rejici possit, quamvis sæpè non absque injuriâ Ecclesiæ, si postulatus aliàs sit dignus; si per hanc petitionem petatur, ut superior in impedimento Canonico dispensem, est *postulatio solemnis*, hic descripta; si vero tantum petatur, ut superior consentiat in postulati promotionem v. g. Abbas in promotionem religiosi, est *postulatio simplex*.

*Dicitur 2.* Capituli: ad eosdem enim pertinet postulatio, ad quos spectat electio, & qui præscripsit jus eligenzi, licet nullum actum postulationis exercuerit, etiam præscripsit jus postulandi.

*Dicitur 3.* Superiori: nempe illi, ad quem pertinet confirmatio, dummodo is in impedimentoo dispensare possit; postulatio vero simplex est facienda illi superiori, cui promovendus est subjectus.

*Dicitur 4.* Ut persona, quæ propter impedimentum &c. nempe persona laborans impedimentoo facile dispensabili est postulabilis, qualis est quæ patitur defectum natalium, non habet ordinem requisitum ad Prælaturam, minor est ætate, nondum professus ad Prælaturam regularem, alligatus per matrimonium spirituale uni Ecclesiæ, sic Episcopus ad aliam cathedralm vacantem vocatus nonnisi per postulationem (nisi habeat breve eligibilitatis) promoveri potest. Econtra hæ personæ abso'utè & ab electionibus & postulationibus arcentur temerè violantes interdictum cap. 1. de postul. lib. 1. tit. 5. falsarii cap. ad falsarium 7. de crim. falsi lib 5. tit. 20. simoniaci cap. super eo 12. arg. cap. si alicujus 59. de elect. Bigami & spuri sive ex damnato coitu nati cap. nisi cum pridem 10. de renuntiat & qui specialiter à jure prohibentur postulari: ut minor viginti septem annis prohibetur postulari ad Episcopatum, religiosi ex ordinibus mendicantibus ad Ecclesiæ cathedralibus inferiores extravag. un. de postul. inter com. quod si simili-

2.2. *Theol. Schol. Pars posterior.* Yy bus

bus impedimentis laborantes scienter postulentur , 12-  
liter postulantes privantur pro illâ vice ipso jure pot-  
estate eligendi vel postulandi cap. 1. & 2. de postulat.  
cap. innotuit 20. de elect.

*Dicitur* 5. Dispensativè admittat: quia superior  
etiam unanimiter factam postulationem non tenetur  
admittere : cum per talem postulationem nullum jus  
postulantibus nec postulato nec Ecclesiæ acquiratur cap.  
bonæ 3. de postul. sed tantum admittit postulatum di-  
spensativè: cum nec habeat jus ante præsentatam po-  
stulationem : tunc enim postulantes à postulatione re-  
cedere possunt , & nuntium vel procuratorem , ante-  
quam præsentarit, revocare, modo revocatio ad illum  
pervenerit arg. cap. ex parte 33. de rescriptis & arg.  
cap. mandato 13. de procurat. nec post postulationem  
præsentatam: quia licet postulantes tunc non possint  
absque consensu superioris recedere cap. bonæ memo-  
ria 4. de postul. attamen superior non tenetur eam ad-  
mittere.

*Q. 2.* Quid si concurrat postulatio cum electio-  
ne ?

*R.* Si aliqui ex capitularibus postulent , & aliqui  
eligant , postulatio admitti non debent , nisi numerus  
postulantum sit duplo major quam eligentium , alias  
electio etiam à minore parte facta præfertur , modo unam  
tertiam superet , sitque de idoneo cap. scriptum 40. de  
elect. quamvis de jure superior non sit obligatus nec  
postulationem admittere: quia non est concors , nec à  
duabus partibus capituli facta , neque electionem con-  
firmare: quia hæc à majori parte capituli facta non  
est , si vero postulatio sola sit sine electione , sufficit ,  
ut admittatur , si pro postulato sit major pars capi-  
tuli.

*Q. 3.* Qualiter postulatio fieri debeat & quid ope-  
retur admissio ?

R. I. Forma postulationis est eadem quæ electionis modò duo observentur: imprimis postulantes non debent uti verbo *eligo*. Nec econtra eligentes verbo *postulo*; imo etiam hæc formæ: *eligo postulando* vel *postulo eligendo* à jure sunt reprobatae, quod si tamen intercederet probabilis ignorantia vel dubium, utrum quis sit postulabilis vel eligibilis, ex benignitate juris admitteretur hæc formula: *eligo vel postulo prout de jure melius facere possum*; in quo casu taliter electus vel postulatus deberet aut viam electionis vel postulationis eligere eaque semel electâ in eadem permanere cap. un. de postulat. in 6. J. G.

2. In litteris postulationis debent exprimi omnes defectus postulati, alioquin si defectus unicus non exprimatur, admissio postulationis erit invalida. Cujus *Ratio est*: sicut in dispensatione non comprehenduntur defectus in supplicâ pro dispensatione non expressi, ita etiam in admissione postulationis, quæ est virtualis dispensatio, non sanantur defectus in litteris postulationis non expressi.

3. Admissio postulationis solemnis habet vim confirmationis, & dat postulato jus ac si fuisset electus & confirmatus, ita ut ulteriore confirmatione non egeat cap. gratum 2. cap. bonæ 4. de postulat. admissio postulationis non solemnis electum capacem facit electioni de se factæ consentiendi & confirmationem pertendi.

#### §. 4.

##### *De modo obtinendi beneficia per collationem.*

Denique acquiritur jus in beneficio per collationem liberam, quæ est voluntaria & gratuita beneficij concessio, quando nempe idoneo Clerico liberè seu absque capitulari electione, aut alterius nominatione vel præsentatione beneficium confertur & hæc collatio fit tribus modis. Primo ex jure ordinario, quando is

Y y 2

cui

cui de jure competit de beneficio vacante providere, illud confert. Secundò ex jure devoluto, quando is, cui competebat jus conferendi, illud jus amisit, sive propter negligentiam non conferendo intra tempus statutum, sive propter delictum conferendo indignis, aut contra formam cap. quia propter 42. de elect. & transit jus illud ad superiorem, qui dicitur conferre ex jure devoluto vel caduco. Tertiò jure extraordinario si nempe Papa aut minister ejus, Nuntius aut Legatus à latere aliquod beneficium vacans sibi reservet, excluso ordinario collatore, aut si ordinarius collator aut in ejus defectum executor ad nominacionem principis vel preces imperatorias debeat certae personæ à principe vel imperatore nominatae certum beneficium conferre. Ut tum hi tres, tum alii in principio quæstionis enumerati modi, quibus acquiritur jus ad beneficium vel in beneficio intelligantur.

*Q. 1. Quinam & qualiter conferre possunt beneficia jure ordinario?*

*R. 1. Pertinet hæc collatio ad summum Pontificem non tantum in beneficiis sedi Apostolicæ immediate subjectis, sed etiam propter concurrentem jurisdictionem, quam habet cum omnibus ordinariis, in beneficiis totius Christianitatis. Deinde in beneficiis Diœcesis hæc collatio pertinet ad Episcopum, ita ut hic in jure communi fundatam intentionem habeat super institutione & destitutione Clericorum in beneficiis suæ Diœcesis, & si aliis sibi hoc jus vindicare velit, debet probare, quod talis facultas ex jure speciali sibi competit: ut probatur ex can. omnes Basilicæ 10. Caus. XVI. Q. 7. cap. conquerente 16. § nos autem de off. jud ordin lib. 1. tit. 31. cap. in Ecclesiis 1. de capell. monach lib. 3. tit. 37. & in cap. cum ex injuncto 12. § fin. de hæret. lib. 5. tit. 7. de Episcopo expressè dicitur: Ad cuius officium tam institutio quam destitutio sacerdotum*

*tum nescitur pertinere.* Capitulum sede vacante , licet possit conferre beneficia privativè ad collationē capituli ex fundatione , privilegio vel legitimā consuetudine vel simul ad Episcopum cum capitulo pertinentia; ea tamen beneficia, quæ pertinent ad liberam collationem Episcopi, non potest conferre cap. illa 2. ne sede vacante lib. 3. tit. 9. cap. 1. de institut. in 6. lib. 3. tit. 6. *Ratio est:* quia collatio beneficii Ecclesiastici est quædam liberalitas, non potest autem capitulum sede vacante aliquid donare de bonis vel juribus Episcopo competentibus , sed tenetur omnia Episcopo successori fideliter reservare cap. quia sæpè 40. de elect. in 6. Vicarius etiam Generalis licet possit instituere sive conferre beneficia ad præsentationem Patroni conferenda , non tamen liberæ collationis sine speciali mandato conferre potest cap. fin. de off. Vicarii in 6. lib. 1. tit. 13. ex limine fundationis vel ex privilegio vel ex consuetudine collatio ad alias personas Ecclesiasticas pertinere potest.

2. Beneficia ab ordinariis collatoribus debent intra sex menses à die habitæ notitiæ vacationis cessante legitimo impedimento conferri purè : id est : sine omni adjectione conditionis aut modi beneficio non intrinseci , certo , id est : certæ & determinatæ personæ, *in perpetuum* , id est : non ad determinatum tempus, *sine diminutione & gratis.*

3. Ex præscripto Trid. sess. 24. de reformat. cap. 18. & S. Pii V. in constitutione quæ incipit: in conferendis beneficiis : servanda est forma concursus in Parochialibüs beneficiis , sine quâ cunctæ provisiones seu institutiones aliter factæ censendæ sunt subreptitiæ, hæc autem forma consistit in his: vacante Ecclesiâ Parochiali incumbit Episcopo vel Officiali ipsius, primò ut Vicarium instituat cum congrua fructuum portione pro Ecclesiæ ejusmodi oneribus subeundis. Secundò ut designet tempus, intra quod beneficium competitores

accedere possint pro examine Tertiò hoc examine peracto ab examinatoribus Synodalibus non paucioribus quam tribus renuntientur, quotquot sunt reperti idonei, & ex his Episcopus eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit, & huic, non verò alteri fiat collatio, ab eo, ad quem de jure pertinet. Quartò si tamen beneficium sit juris Pattonatus Ecclesiastici, institutioque pertineat ad Episcopum, obligatur Patronus Episcopo præsentare, quem digniorem judicaverit, si vero ad alium pertineat institutio, Episcopus solus debet eligere digniorem, ut Patronus eum præsenteret instituenti. Quintò quando autem Patronus est laicus oportet proponere edictum publicum, & quem Patronus præsentaverit, examinare, & nisi idoneus repertus fuerit, nullo modo debet ipsi conferri beneficium; idem est in Vicariis perpetuis Parochialium unitarum seu incorporatarum aliis Ecclesiis, monasteriis &c. in his enim præsentatus sistendus est examini & si idoneus repertus fuerit, absque forma cursus est instituendus.

4. Collatio nondum est perfecta, nisi secuta sit acceptatio, quæ validè fieri potest etiam per procuratorem, dummodo habeat speciale mandatum ad acceptanda beneficia ante acceptationem factam non revocatum, sicut etiam revocatio ad notitiam procuratoris non pervenisset; ante hanc acceptationem non potest collator pœnitere & collationem factam revocare.

5. Inhabilis ad beneficium propter occultum aliquem defectum juris positivi v. g. quia est irregularis, dummodo possit beneficium sine diffamatione sui (quod si in raro casu non posset, plures Theologi eum excusant) recusare, non potest illud petere, nec acceptare collationem sibi factam, nisi prius super defectu dispensationem obtinuerit, si tamen illud acceptaverit, secutâ dispensatione super occulto defectu

jus

jus provisi convalescit; cum provisio fundamentaliter & attento solo jure naturali subsistat.

**Q. 2.** Qualiter conferuntur beneficia ex jure devoluto?

**R. 1.** Devolutio gradatim facienda est nempe ab inferiori collatore ad Episcopum, ab Episcopo ad Archi-Episcopum & tandem ad Papam, nisi in exemplis, à quibus devolutio fit immediatè ad summum Pontificem cap. licet 3. de suppl. neglig. Prælatorum. Quod autem dictum est de Archiepiscopo, debet intelligi de beneficiis ad Episcopum devolutis, non autem de his, quæ jure ordinario confert, in his devolvitur jus conferendi Episcopo negligentे ad capitulum, & econtra & utrisque negligentibus ad Archiepiscopum cap. nulla 2. de concess. præb. &c. lib. 3. tit. 8.

2. Fit devolutio, quando inferior, si non obstat impedimentum etiam ex propriâ culpâ incursum, nisi illud ultrò procurasset aut facile tollere potuisset (quod impedimentum ordinarius collator probare debet) vel intra debitum terminum non contulit vel inhabili contulit, cum perinde sit inhabili conferre & nulliter conferre; licet autem lapso termino collatio ab inferiore facta non subsistat, attamen potest superior ad quem facta est devolutio, eandem collationem tolerare, & permittere, ut de novo conferat.

3. Devolutio semper fit cum qualitatibus beneficio annexis in primâ provisione; cum sit hujus legitimo tempore non facta subrogatio, ac proinde ejusdem debeat subire conditionem, ut eodem modo eidem personæ, cum eisdem oneribus debeat conferri beneficium ex jure devoluto, sicut conferendum esset ab ordinario collatore.

**Q. 3.** Qualiter conferuntur beneficia à summo Pontifice jure extraordinario?

**R.** Quando vel generaliter vel specialiter summus

Pontifex autem alius illius auctoritate, suæ collationi beneficia reservat, quæ reservatio potest à S. Pontifice fieri in toto mundo, à Nuntiis & Legatis à latere in provincia ipsius decretâ juxta terminos positos in cap. præsenti 3. de officio legati in 6. lib. 1. tit. 15. est autem omnis reservatio utpote odiosa strictè interpretanda: si sit facta cum decreto irritante, etiam invalidam reddit provisionem ordinarii ignorantis & omnia inde secuta, cap. si eo tempore 45. de elect. in 6. si vero sit facta absque tali decreto, non afficit ordinarium ignorantem; sub reservatione generali non comprehenduntur. Primò beneficia manualia: cum hæc in rigore non sint beneficia. Secundò beneficia juris Patronatus laici, nisi specialiter exprimantur, si tamen non ex ædificatione, fundatione vel dotatione talia beneficia essent Patronata, sed ex privilegio sedis Apostolicæ vel ex consuetudine, etiam sub reservatione generali comprehendenterentur. Tertiò beneficia vacantia causa permutationis. Quartò beneficia incorporata vel unita alicui collegio vel dignitati, quæ dicuntur esse de mensâ talis collegii vel talis prælati. Quintò beneficia eleætiva.

Plura beneficia tam in jure communi quam in regulis cancellariæ reservata omittimus, quia in nostrâ Germaniâ sola comprehensa in concordatis Germaniæ pro reservatis habentur, sunt autem concordata Germaniæ pactio solemnis inter Nicolaum V. Pontificem maximum ex unâ & imperatorem Fridericum III. cæterosque Germaniæ proceres tum Ecclesiasticos tum sacerdotes ex alterâ parte, de dignitatibus & præbendis Ecclesiarum Germaniæ concepta ad bonum & tranquillitatem nationis Germanicæ, circa quam pactionem in Bullâ ad sacram Petri sedem, quæ refertur Tom. I. Bullarium prima hujus Pontificis, Nicolaus V. asseverat, quod eadem concordata sint semper duratura, nisi in futuro

Con-

Concilio de consensu nationis Germanicæ aliter fuerit ordinatum , in his concordatis reservationes continentur secundum sequentem concordatorum tenorem.

§. 2. Placet nobis super provisione Ecclesiarum & beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque provisionibus Juris scripti reservationibus & execrabilis ac ad regimen constitutionibus modificatis , ut sequitur. Ad regimen Ecclesiae generalis quanquam immeriti superna dispositione vocati , gerimus in nostris desideriis , ut debemus , quod per nostra diligentia studium ad quarumlibet Ecclesiarum & Monasteriorum regimina & alia beneficia Ecclesiastica juxta divinum beneplacitum & nostra intentionis affectum viri assumantur idonei , qui præsint & pro sint committendis eis Ecclesias , Monasteriis & beneficiis prælibatis , præmissorum utaque consideratione inducti . & suadentibus nobis aliis rationabilibus causis nonnullis prædecessorum nostrorum Rom. Pontif. vestigiis inharentes Patriarchales , Archiepiscopales , & Episcopales Ecclesias , & etiam Monasteria , Prioratus & dignitates personatus & officia , nec non Canoniciatus præbendas & Ecclesias ceteraque beneficia Ecclesiastica cum curâ & sine curâ , secularia & regularia , quacunque & qualiacunque fuerint , etiamsi ad illa persona consueverint , seu debuerint per electionem , seu quemvis alium modum assumi , nunc apud sedem Apostolicam quocunque modo vacantia & imposterum vacatura : nec non per depositionem vel privationem seu translationem per nos , seu auctoritate nostra factas & in ante facientes ubilibet : nec non ad qua aliqui in concordia vel discordia electi sive postulati fuerint , quorum electio cassata , seu postulatio repulsa , vel per eos facta renuntiatio , & admissa auctoritate nostrâ extiterit : seu quorum electorum vel postulatorum & in ante eligendorum vel postulandorum electionem cassari ,

seu postulationem repelli, aut renuntiationem admitti, per nos aut auctoritate nostrâ contingat apud sedem praedictam vel alibi ubicunque, & etiam per obitum Cardinalium ejusdem Ecclesiae Romanae aut officia actualiter tenentium ( vicâ cancellarii, camerarii, septem notariorum auditoris, litterarum contradictriarum & Apostolici Palatii causarum auditorum, correctorum, centum & unius scriptorum litterarum Apostolicarum, & viginti quatuor Pœnitentiariæ præfatae sedis, & viginti quinque abbreviatorum nec non verorum commensalium nostrorum, & aliorum viginti quatuor Capellanorum sedis ejusdem in Epitaphio descriptorum) & etiam quorumcunque legatorum, seu collectorum, ac in terris Romanae Ecclesiae rectorum ac thesaurariorum deputatorum seu missorum hactenus vel deputandorum aut mittendorum imposterum, nunc vacantia & inantea vacatura, ubicunque dictos legatos, vel collectores, seu rectores & thesaurarios, antequam ad Romanam curiam redierint seu venerint, rebus eximiū contigerit ab humanis. Nes non alia quoramlibet pro qualibet negotiis ad Romanam curiam venientium seu etiam recendentium ab eadem, si in locis à dicta curia ultrâ duas dietas legales non distantibus jam forsan obierint vel eos inantea ab hac luce transire contigerit, & etiam simili modo quorumcunque curialium peregrinationis infirmitatis seu recreationis vel aliâ quacunque causa ad quævis loca secedentium, si eos antequam ad dictam curiam redierint, in locis ultrâ duas dietas ab eadem curia, ut pramittitur non remotis ( dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem) jam forsan decesserint, vel imposterum eos contigerit de medio submoveri, etiam nunc per obitum hujusmodi vacantia vel imposterum vacatura, rursus Monasteria prioratus, dignitates, personatus, decanatus, administrationes, officia, canonicatus præbendas & Ecclesiastis

clesias, ceteraque beneficia Ecclesiastica, secularia & regularia, cum curâ vel sine curâ, quæcunque & quacunque fuerint, etiam si ad illa persona consueverint seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, quæ promoti per nos seu auctoritate nostra ad Patriarchalium, Archi-Episcopalium & Episcopalia Ecclesiarum, nec non monasteriorum regimina obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum nunc quocunque modo vacantia, aut imposterum vacatura, nec non etiam per assecutionem pacificam quorumcunque prioratum, personatum officiorum, canoniciatum, præbendarum, Ecclesiarum aut beneficiorum aliorum, per nos seu auctoritate nostrarum litterarum immediate collatorum seu conferendorum imposterum, præterquam si virtute gratiae exspectativa assecutio fiat, nunc vacantia, & inantea vacatura plena super premissis omnibus & singulis cum fratribus nostris præhabitâ & maturâ deliberatione secutâ, ordinationi, dispositioni ac provisioni nostra de ipsorum fratrum consilio auctoritate Apostolicâ reservamus, decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super premissis & quolibet eorum per quoscunque quâvis auctoritate scilicet vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Item placet nobis, quod in Metropolitanis & Cathedralibus etiam immediate non subjectis Ecclesiis, & Monasteriis immediatè subjectis sedi Apostolice fiant electiones canonicae, quæ ad dictam sedem deferantur, quas etiam ad tempus constit. fœl. rec. Nicolai Pape III. quæ incipit: cupientes, exspectabimus: & elapso dicto tempore, si non presentata, vel si presentata, minus canonicae fuerint, providebimus, & si canonicae fuerint, eas confirmabimus, nisi ex rationabili & evidenti causa de dictorum fratrum consilio de digniori & utiliori persona duxerimus providendum, proviso, quod confirmati predicti, & per eos provisio-

Metropo-

Metropolitanis suis & aliis prætent debita Juramenta & alia, ad quæ de jure tenentur. Et in Monasteriis dictæ sedi immediate non subjectis, & aliis regularibus beneficiis, super quibus pro confirmatione vel provisione ad dictam sedem non consueverit haberire cursus, electi, seu illi, quibus providendum est, pro confirmatione & provisione hujusmodi ad curiam Romanam venire non tenebantur, ipsaque regularia beneficia sub exspectativis gratiis non cadant, ubi autem pro Monasteriis ad dictam curiam venire seu mittere consueverint, non aliter confirmabimus vel providebimus, quam superius de Cathedralibus Ecclesiis est expressum. Et de Monasteriis Monialium non disponemus, nisi sint exempta, & tunc per commissionem ad partes. De ceteris verò dignitatibus & beneficiis quibuscunque secularibus & regularibus vacaturis, ultrà reservationes prædictas ( majoribus dignitatibus post Pontificales in Cathedralibus & principalibus in collegiatis Ecclesiis exceptis ) de quibus jure ordinario providetur per illos inferiores, ad quos alias pertinet.

§. 4. Placet etiam nobis, quod per quamcunque aliam reservationem, gratiam exspectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quacunque verborum formâ, per nos vel autoritate nostrâ factam vel faciendam non impediamus nos, quo minus de illis, cum vacabunt Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & decembribus mensibus, libere disponatur per illos, ad quos eorum collatio, provisio, præsentatio, electio, seu queavis alia dispositio pertinebit, reservatione, aliâve queavis dispositione autoritate nostrâ factis vel faciendis, non obstantibus quibuscunque. Quoties verò aliquo vacante beneficio in Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris, & Novembribus mensibus specialiter dispositioni dictæ sedis reservatis non apparuerit

ruerit intrà tres menses à die notæ vacationis in loco beneficij , quod alicui de illo Apostolica authoritate prouisum fuerit , ex tunc & non antea ordinarius , vel alius , ad quem illius dispositio pertinebit , de illo liberè disponere poterit , & ad finem , ut hæc ordinatio collationum beneficiorum non reservatorum per alternos menses posset per dictam nationem publicari , & omnes , qui eā gaudere voluerint , tempus congruum habeant eam acceptandi , tunc quoad dictam sedem à Kalendis Junii proximè futuris ipsa currere incipiet , & durabit deinceps , nisi in futuro Concilio de consensu dictæ nationis aliter fuerit ordinatum . Hucusque Pontifex

Porrò sicut quoad collationem beneficiorum in Germaniâ secundum tenorem relatum concordatorum sedes Apostolica procedit , ità quoad aliâs nationes similiter attendenda sunt pacta cum sancta sede inita , quibus derogatur Juri communi .

**Q.** 4. Qualiter per preces imperatorias referuntur beneficia ?

**R.** Concessum est Imperatori ex privilegio Apostolico & immemoriali consuetudine , ut in quâvis Ecclesiâ collegiatâ intrâ fines Römani Imperii existente nominet personam idoneam ad beneficium vacans vel vacaturum , prætenduntque Cælariani statim ab electione competere Imperatori preces primarias , quæ appellantur preces : quia Imperator nominans certam personam non confert , sed solum petit ab ordinario collatore , ut personæ à se nominatæ conferat beneficium ; primariæ vero , tum quod cuivis Juri nominandi , eligendi vel præsentandi præferantur ; tum quia sunt veluti prima electi Imperatoris petitio , quæ offertur collatoribus , ut preciæ beneficium quocunque vacans vel proximè vacaturum conferant , non obstantibus reservationibus

bus Papalibus, iis exceptis, quæ in extravag. ad regimen. 13. continentur.

Præter hanc exceptionem preces non extendunt se 1mò ad dignitatem post Pontificalem majorem in cathedralibus & principalem in collegiatis inferioribus. 2dò. ad beneficia monocula: quia Pontifex noluit gravare nisi collatores, qui saltem habent quatuor beneficia conferenda intrà modernos imperii Romani limites. 3tiò. ad beneficia Juris patronatus laici & mixti. 4tò. ad beneficia per se & ex naturâ suâ regularia. 5tò. ad beneficia ad nudum ministerium ut cantandi, ludendi organo &c. ordinata. 6tò. ad beneficia litigiosa. 7mò. ad beneficia ad sedem Apostolicam per negligentiam inferiorum devoluta. 8vò. ad beneficia vacantia causa resignationis factæ in favorem tertii vel permutationis. 9nò. ad beneficia erecta post concessas alicui preces. 10mò ad beneficia manualia, unita, pensiones Ecclesiasticas, nisi dentur in titulum.

Intrà mensem à die habitæ notitiæ vacationis tenetur precista vel per se vel procuratorem speciale mandatum habentem hoc in individuo beneficium petere, à quâ petitione si tacitè vel expressè resiliat, non potest novum beneficium petere, si verò primum beneficium petere neglexerit, potest petere secundum vacans; hoc enim in indulto relinquitur arbitrio precistæ, si preces non habuerint effectum, potest Imperator novam personam nominare.

#### Q U A E S T I O IV.

*Quot modis beneficia amittuntur?*

**S**UPPONO 1. Dupliciter amittitur beneficium: vel ex parte beneficiati, ut ipse Jus beneficii habere desinat, vel ex parte beneficii, ut ordo foundationis alicujus tituli spiritualis vel simpliciter vel secundum

cundum quid cesseret; amissio beneficii tantum ex parte beneficiati contingit vel per vacationem ex causa mortis, resignationis, vel permutationis ac privationis, nec non aseccutionis alterius beneficii vel per mutationem statutus ex contracto matrimonio seu religionis solemnis professione. Amissio sive cessione ex parte ipsius beneficii contingit, quando ipsius titulus extinguitur per suppressionem seu divisionem beneficii, aut per unionem cum altero beneficio.

*Suppono 2.* Cum mors omnia Jura solvat, beneficium, quod obtinetur in titulum, sine dubio cessat ex parte beneficiati per mortem naturalem illius, qui habet Jus in beneficio; dixi: in titulum: quia in casu, quo beneficium est de mensa Prælati vel capituli, illud non vacat per mortem vicarii, quippe qui non ut intitulatus neque proprio, sed Prælati seu capituli nomine eidem inservit.

DICO 1. *Hi qui beneficium Ecclesiasticum sibi collatum sponte in manum laicam resignantes, illud denuo à laico suscepereunt, eodem sunt beneficio spoliandi, licet resignatione talium facta laico nullam ostineat firmitatem Innoc II. in cap. quod in dubiis 8. de renunt. lib. 1. tit. 9.*

Ex hoc textu constat: quod resignatione, ut valeat & per eam resignans à vinculo, quo Ecclesiæ per beneficium astringitur, solvatur, debeat à legitimo superiore esse acceptata: ejusdem enim est solvere, cuius est ligare, undè solus Prælatus Ecclesiasticus, qui beneficiatum instituit, & destituit, resignationem acceptare potest, si fiat cum legitima causa ex iis, quas S. Pius V. expressit in suâ constitutione: quanta Ecclesiæ Dei: editâ Anno 1568. relata tom. 2. Bull. 58va in qua ita §. 3. *Episcopi & alii facultatem habentes eorum duntaxat resignationes recipere & admittere possint, qui aut senio confessi, aut valedicinarii*

tudinarii, aut corpore impediti vel vitiati aut crimi-  
ni obnoxii censurisque Ecclesiasticis irretiti aut ne-  
queunt, aut non debent Ecclesia vel beneficio inservi-  
re, seu qui unam aliud vel plura beneficia obtinuerint,  
vel quos ad aliud contigerit promoveri; religionem quo-  
que ingressuri vel matrimonium contracturi, si statim  
postea id re ipsa exequantur; denique cum quis ex aliis  
casibus acciderit, qui constit fel. record. innocentii  
Papæ tertii de dimittendis cathedralibus Ecclesias edita  
(cap. nisi cum pridem 10. de renunt.) continentur.  
Qui etiam ob captales inimicitias nequeunt vel non  
audent in loco beneficii residere securi. sed nec horum  
ullus Sacro ordini mancipatus, nisi religionem ingressu-  
rus valeat ullo modo beneficium vel officium Ecclesiasti-  
cum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit com-  
mode sustentari. Adhac beneficiorum & officiorum  
permutationes admittere, quæ Canonicis sanctionibus  
& Apostolicis constitutionibus permittuntur §. 4. Ca-  
veant autem Episcopi, & alii predicti, itemque om-  
nes electores, presentatores & Patroni tam Ecclesiasti-  
ci, quam laici, quicunque sint, ne verbo quidem aut  
nunu, vel signo futuri in hujusmodi beneficiis & officiis  
successores ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum signifi-  
catione vel hortatu designentur, aut de his assumendis  
promissio inter eos veletiam conventio qualiscunque in-  
tercedat. §. 5. Ceterum precipimus atque interdicimus,  
ne ipsi Episcopi aut alii collatores de beneficiis & officiis  
resignandis predictis aut suis, aut admittentium con-  
sanguineis, affinibus vel familiaribus etiam per falla-  
cem circulum multiplicatarum in extraneos collationum  
audeant providere; quod si secus ac etiam quidquid  
preter vel contraria formam predictorum fuerit à quocun-  
que temerè attentatum, id totum ex nunc vires &  
effectum decernimus non habere. §. 6. Qui verò contra  
fecerint, ut in eo, quo deliquerint, puniantur, à  
bene-

beneficiorum & officiorum collatione, nec non electione, præsentatione, confirmatione & institutione, prout cuique competierit, tamdiu suspensi remaneant, donec remissionem à summo Pontifice meruerint obtinere; & quitalia beneficia seu officia receperint eos prædictis pœnis volumus subjacere: & nihilominus in eos, qui sic suspensi conferre, eligere, præsentare, confirmare vel instituere ausifuerint, excommunicationis quoad personas, quo verò ad capitula & conventus, à divinis suspensionis sententias ipso facto promulgamus; quibus etiam nullus alius, quam ipse Romanus Pontifex sive absolutionis sive relaxationis gratiam (excepto mortis articulo) valeat impertire, prohibitione & litteris nostris prædictis nihilominus in ceteris omnibus perpetuò valituris.

Ex quâ constitutione regulata manet potestas inferiorum Prælatorum in admittendis resignationibus pure & simpliciter factis non verò sub conditione v. g. annuæ pensionis, vel in favorem tertiae personæ, nisi in causâ permutationis, in quâ authoritatem Episcopus auctoritate vacante capitulum cathedralे, & ex privilegio vel consuetudine etiam inferior prælatus interponere potest ex causâ necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ, ad ad quam reducitur necessitas vitandi inimicitas, aëris intemperiem aliaque permutantium damna, cum extra talia discrimina melius inserviri possit Deo & Ecclesiæ: instantum enim est conformis Canonicis sanctionibus, quæ talem permutationem, nisi ex causâ legitimâ fiat, reprobant. cæterum quodcumque beneficiorum genus etiam manuale accedente authoritate illius, à cuius nutu pendet, uti etiam beneficia ad jus Patronatus spectantia de consensu Patroni, dicto modo permutari possunt, quamprimum autem per superiorem admissa est & effectum sortita fuit permutatio, vacant eo ipso beneficia sic permutata, ut colligitur ex Clement. un. de

rerum permutatione. Et cap. un. cod. tit. in 6. neque tamen ex permutationis ejusmodi admissione censetur iam facta beneficij collatio, sed hæc longo temporis intervallo etiam divisim, modo huic modo alteri ex permutantibus fieri potest.

Aliæ autem conditionatæ resignationes solummodo Apostolicâ authoritate acceptantur, valentque in favorem tertii ex R. Cancellariæ de viginti, si post acceptationem resignationis ipse resignans viginti diebus supervixerit, & præterea ex constitutione Greg. XIII quæ refertur Tom. 2. Bullarii 85. & incipit; humano vix iudicio debent resignationes in favorem factæ & in curiâ Romanâ acceptatæ publicari, ne clandestinæ & simulatae siant resignationes, & ne resignantes ad beneficia valeant redire, aut ordinarii collatores jure suo priventur vel Parochiani suos Pastores ignorent. Debet autem hæc publicatio fieri in beneficiis extra Italiam intrâ novem intrâ Italianam intrâ sex menses à die datæ sive concessionis gratiæ. Resignationes verò extrâ curiam Romanam ab ordinariis debent admitti vel rejici intrâ mensem, si admissæ fuerint, provisi debent easdem publicare & possessionem sumere intrâ tres menses à die factæ collationis beneficij, si beneficium resignatum sit curatum, debet publicatio fieri in Ecclesiâ beneficij & cathedrali, si verò beneficium careat populo, facienda est publicatio in Ecclesiâ Parochiali intrâ cuius limites beneficium existit, & in Ecclesiâ cathedrali. Si publicatio hæc negligatur, per acceptatam resignationem nullum jus resignatario acquiritur & beneficium absolute vacare censetur potestque à quolibet tanquam vacans impetrari.

DICO 2. *Episcopi.... eos, qui turpiter & scandalose vivunt, postquam præmoniti fuerint, coerceant ac castigent; & si adhuc incorrigibiles in suâ nequitia perseverent, eos beneficiis juxta sacrorum Canonum constitutio-*

*tutiones exemptione & appellatione quacunque remota  
privandi facultatem habeant.* Trident. sess. 21. de re-  
form. cap. 6.

*Explicatur:* Modus alius amittendi beneficia non tantum in rectoribus Parochialium Ecclesiarum, de quibus loc. cit. agit Trident. sed in omnibus beneficiatis est privatio ob crimen, quæ vel ipso jure fit vel per sententiam judicis, cum hæc differentiâ, quod delicta, propter quæ per sententiam privandus quis venit beneficio, non impedian resignationem in favorem alterius, siquidem beneficium sit de jure possidentis, donec per tres sententias conformes seu unam, quæ transiit in rem judicatam, condemnatus fuerit, undè etiam privandus per sententiam facit fructus beneficii suos usque ad definitivam sententiam, econtra in eo, qui ipso jure privatus decernitur beneficio, licet ad hoc, ut privatio mandetur executi ni, requiratur sententia criminis declaratoria, attamen à primo statim instanti commissi delicti, in tantum infirmatur titulus & possessio beneficii, ut per sententiam rescindantur omnes translationes tam beneficiorum quam fructuum, neque beneficium censi debeat vacans ex morte delinquentis, sed ex privatione annexâ delicto.

Crimina autem propter quæ vel ipso jure privatur vel per sententiam judicis privandus est quis beneficio sunt sequentia.

1. Propter crimen hæresis privatur quis ipso jure beneficio, intantum, ut beneficia hæretorum precibus obtenta ipso quoque jure vacent, & ea sic scienter obtainentes reddantur inhabiles ad alia obtainenda ex cap.

2. §. ad hæc 3. de hæret. in 6. lib. 5. tit. 2.

2. Ob crimen læsæ Majestatis quis est beneficio per sententiam judicis privandus ex can. si quis laicus 19. Caus. XXII. Q. 5.

3. Propter homicidium incurritur quidem irregu-

laritas, non tamen privatio beneficii obrenti ipso jure, sed solum inhabilitas ad obtainenda beneficia; excipitur occiso vel percussio Cardinalis S. Romanæ Ecclesiæ, seu Episcopi, cap. felicis 5. de pœn. in 6. Clem. si quis 1. eod. tit. item mutilatio etiam alterius Clerici ad eandem spectantis Ecclesiam, in quâ mutilator beneficium habet, cap. in quibusdam 12. de pœn. lib. 5. tit. 37. Homicidium per Assasinum, dum scilicet pretio conduetus occidit Christianum vel de eo sic occidendo dedit mandatum morte etiam non secutâ, vel Assasinum receptavit aut defendit aut occulavit, cap. pro humani 1. de homic. in 6. lib. 5. tit. 4. excipitur quoque occidens seu vulnerans litigantes in Romanâ curiâ ejusque ministros, qui privatim beneficio ipso jure ex constit. Alexandri VI. quæ incipit: in eminenti sedis: relatâ tom. 1. Bullarii XIImâ.

4. Propter crimen sacrilegii est quis privandus non tamen ipso jure privatus beneficio, nisi insecurus fuerit aut percusserit ac capere præsumpererit S. R. Ecclesiæ Cardinalem cap. felicis de pœn. in 6. vel capere, percutere aut bannire ausus sit Episcopum Clem. 1. de pœn. aut Clericum capiat ut resignet beneficium, vel impedit, ne ad Romanam curiam accedat Clem. multorum 2. eod. tit.

5. De simoniâ videantur dicta Disp. XXXIX. Q. IV.

6. Propter Blasphemiam in Deum & B. Virginem publicam primâ vice privandus est unius anni fructibus, Secundâ vice beneficio, vel si plura habeat, uno, quo ordinarius maluerit, est privandus, tertiâ vice omnibus beneficiis & dignitatibus ipso jure est privatus & ad ea obtainenda ulterius est inhabilis ex decreto lat. fess. 9. Concilii Lateran. sub Leone X.

7. Propter crimen falsi is, qui per se vel per alios vitium falsitatis exercuisse convictus fuerit, omnibus beneficiis & officiis Ecclesiasticis, si Clericus sit est

ipso jure privatus cap. ad falsiorum 7. de crimina  
falsi lib. 5. tit. 20.

8. Propter crimen intrusionis, non alia legitime  
obtenta, sed violenter occupatum vacat cap. eum qui  
18. de præbend. in 6.

9. Ob specificum inobedientiæ crimen imponitur be-  
neficiorum privatio, si quis violaverit sequestrum, quod  
impositum est ab ordinario ratione sententiæ definitivæ  
super beneficio apud sedem Apostolicam latæ, quo  
casu sequestrationem impediens vel fructus sequestratos  
præsumptivè occupans omni jure in beneficio vel ad be-  
neficium excidit Clem. un. de sequest. possell. & fruct.  
lib. 2. tit. 6. si quis obtinens plura beneficia incom-  
patibilia justo impedimento cessante ab ordinario mo-  
nitus & requisitus renuit ostendere titulum dispensa-  
tionis super pluralitate talium incompatibilium bene-  
ficiorum cap. ordinarii. 3. de off. ordinarii in 6. J. G. &  
Concil. Trid. sess. 7. de reformat. cap. 5. si quis alien-  
net res Ecclesiæ & beneficii absque solemnitate præ-  
scripta in extravag. ambitiosæ. De rebus Ecclesiæ non  
alienandis. Qui à beneficio suspensus illi se ingerit cap.  
1. §. fin. cap. cupientes de elect. in 6. si quis capiat pos-  
sessionem beneficii à summo Pontifice collati antequam  
expadiantur litteræ Apostolicæ juxta constitutionem  
Julii II. relatam tom. 1. Bullarii 4tam, quæ incipit:  
Romani Pontificis. Beneficiatus habitum Clericalem  
non assumens vel eundem deponens per constitutionem  
Sixti V. relatam tom. 2. Bullarii 92. quæ incipit: cum Sa-  
cro - Sanctam : privatur beneficio. Denique præter alias  
casus passim allegatos qui non observat decretum Pon-  
tificium positum in provisione alicujus beneficii, eo  
quod beneficium non sit aliter collatum, nisi sub con-  
ditione talis decreti.

10. Propter crimen simulationis, quo pro beneficio  
obtinendo se quispiam loco alterius suppoluit examini,

vacant omnia beneficia simulantis ex constitutione Pauli IV. inter cæteras 12. relatâ tom. 1. Bullarii.

11. Propter concubinatum , si monitus & post monitionem non attentam suspensus à beneficio fuerit, concubinarius perpetuo privandus est beneficiis, portionibus ac officiis & pensionibus quibuscumque Ecclesiasticis ex Trid. sess. 25. de refor. cap. 14.

12. De nefando Sodomiæ vitio S. Pius V. in constit. 5. relatâ tom. 2. Bullarii , quæ incipit : cum primum : §. 11. ita : *Si quis crimen nefandum contrâ naturam, propter quod ira Dei venit in Filios diffidentia, perpetraverit, curiae seculari puniendus tradatur, & si Clericus fuerit, omnibus ordinibus degradatus simili pœna subjiciatur.* consonat cap. Clerici 4. de excess. prælat. lib. 5. tit. 31. eadem pœnâ dignus est Clericus propter bestialitatem, licet hæc ipso jure non irrogetur.

DICO 3. *Quicunque de cætero plura curata aut alias incompatibilia beneficia Ecclesiastica... contrâ formam sacrorum Canonum & præsertim constitutionis Innocentii III quæ incipit : de multâ: recipere ac simul retinere præsumperit, beneficis ipsis juxta ipsius constitutionis dispositionem ipso jure... privatus existat.* Trident. sess. 7. de reform. cap. 4.

*Explicatur Conclusio :* Quæ continet modum amittendi beneficium per assecutionem alterius incompatibilis: dupliciter sunt aliqua beneficia incompatibilia primò quoad titulum, ita ut post assecutionem & secutam fructuosam possessionem secundi beneficij ipso facto vacet primum beneficium ; talia sunt duæ dignitates, duo beneficia vel Vicariæ perpetuæ habentes curam animarum, duo beneficia sub eodem testo : id est: in eadem Ecclesiâ cap. cum in cunctis 7. §. 1. de elect. cap. 1. de consuetud. in 6. Clement. fin. de præbend. extravag. execrabilis eod. tit. secundo alia sunt incompatibilia quoad retentionem , quando quidem per asse-

assecutionem secundi ipso jure non vacat primum, sed possessor tenetur unum dimittere, talia sunt beneficia exigentia residentiam cap. litteras 9. de concess. præb. & hæc non tantum vera sunt in sacerdatisibus sed etiam in regularibus beneficiis cap. cum singula 32. de præb. in 6. Clement. un. de supp. neglig. prælat.

Casus autem, in quibus licet habere duo beneficia sunt hi: imprimis licet habere unum in titulum & aliud incompatibile in commendam temporalem non perpetuam cap. dudum 54. de elect. ibi: *Nisi unam intitulatam & alteram commendatam haberer.* Deinde si sint auctoritate legitimâ unita ut Ecclesia Parochialis dignitati cap. extirpandæ 30. §. qui verò. cap. exposuisti 33. de præbend. cap. super eo 6. eod. tit. in 6. Clement. fin. eod. tit. præterea si unum non sufficiat ad congruam sustentationem Clerici cap. eam te 4. de ætate & qualit. & ordine præfic. & Trid. sess. 24. de re-form. cap. 17. *Statuit ut in posterum unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur; quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, licet nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.* Denique licet plura obtinere beneficia ex dispensatione summi Pontificis, qui solus potest dispensare in pluralitate beneficiorum uniformium sub eodem tecto, vel curatorum etiam in diversis ecclesiis vel exigentium residentiam cap. pde multa 28. de præbend. in cæteris beneficiis dispensare potest Episcopus Can. sanctorum 2. Diff. LXX. hæc tamen dispensatio strictè est interpretanda restrin-gendo solum ad casus, de quibus loquitur dispensatio, arg. cap. 1 & 2. de Fil. presbyt. in 6. lib. 1. tit. 14. ita ut dispensatus ad plura beneficia non possit habere tria, nec curata, dispensatus ad plura curata non possit habere duos Episcopatus &c. cap. non potest 21. de præbend. in 6. lib. 3. tit. 4.

Q. 1.

**Q. 1.** Quomodo amittitur beneficium per assumptionem statū incompatibilis?

**R. 1.** Amittitur beneficium per Matrimonium de præsenti validè contractum: quia Matrimonium est status incompossibilis cum statu clericali. *Dixi:* validè: quia juxta R. J. 52. in 6. Non præstat impedimentuan, quod de Jure non sortitur effectum.

**2.** Amittitur beneficium per validam professionem religiosam expressam vel tacitam, ita ut ex illa ipso Jure videntur beneficia cap. beneficium 4. de regul. in 6. lib. 3. tit. 14 eo quod per religiosam professionem homo sit mundo mortuus, sicque per hanc æquè ac mortem naturalem vacant omnia beneficia prius obtenta, debet tamen professio adhuc esse subsecuta, undè si ultrà annum prorogatus sit novitiatus, nondum sunt censenda vacare beneficia.

**Q. 2.** Quomodo cessat beneficium quo ad se?

**R. 1.** Cessat beneficium simpliciter quoad se per suppressionem, cui locus est, quando propter tenuitatem reddituum, eorumque ad sustentandos clericos insufficientiam diminui debet beneficiorum numerus, sicque extinguere seu supprimere oportet unum vel plura beneficia; extrà talem fructuum diminutionem, non licet præbendas ad minorem numerum redigere cap. ex parte 12. de constit. lib. 1. tit. 2. sed posita diminutione reddituum potest Episcopus cum capituli consensu in Cathedralibus & Collegiatis in signibus præbendas ad minorem numerum reducere, ut augeantur distributiones quotidiane cap. cum accessissent 3. de constitut. nisi forte sit remedium ex unione simplicium beneficiorum, ad hanc suppressionem requiritur præterea consensus patroni, si beneficium sit Juris patronatus laicallis, nec sufficiat consensus Cathedralis Capituli, sed

opor-

oportet, ut etiam consentiat Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ, in quâ suppressio facienda, ut decisum refertur à sacrâ congregatione, potest infuper Episcopus pro fabricâ Ecclesiæ aliisque piis operibus justâ interveniente causâ beneficia simplicia aliasque præbendas supprimere cap. sicut unite 8. de excessi prælat. non verò suppressarum præbendarum redditus episcopali aut capitulari mensæ applicare: cum istud foret in facto proprio sibique utili præstare authoritatem contrâ Clement. si una 2. de rebus Eccles. non alien. lib. 3. tit. 4. nec denique potest se ingerere in diminuendis beneficiis, quorum numerus est à sede Apostolica confirmatus: cum nequeat derogare Apostolicæ confirmationi.

2. Cessat beneficium secundum quid per divisionem, quâ unum beneficium in plura dividitur & per dismembrationem, quâ pars fructuum à titulo beneficii separatur, aliquie beneficio vel pio loco applicatur; divisio Ecclesiæ parochialis per Episcopum tanquam sedis Apostolicæ delegatum fieri potest, si vel ob nimiam distantiam vel difficultatem parochiani sine magno incommodo ad Ecclesiam patochialem accedere non possent, tunc assignatâ congruâ portione novo rectori ex fructibus Ecclesiæ matricis aut si necesse fuerit, ex iis quæ populus, qui etiam ad hoc compelli potest, subministraverit, nova parochia erigi potest, alias si unus rector populo numero satisfacere nequeat, debet compelli, ut sacerdotes alios ad hoc sufficientes sibi adjungat Trid. Sess. 21. de refor. cap. 4. de quo supra Disput. XLI. Q. III. dismembratio, cum habeat speciem alienationis, easdem quas illa solemnitates requirit; non potest Episcopus parochiales fructus dismembrare, ut applicentur simplici beneficio cum Trid. Sess. 25. de refor. cap. 16. vetuerit, ne

parochiale beneficium convertatur in simplex, quod etiam esse intelligendum quoad partem fructuum refertur declarasse. S. congregat. & hinc neque potest Episcopus à parochiali Ecclesia dismembrare simplicia beneficia seu oratoria eidem unita, quamvis iis non indigeret, cum hoc esset partem fructuum parochialis Ecclesiae convertere in simplex beneficium, iuxta relata declarationem ejusdem sacræ congregationis.

3. Cessat quoque beneficium secundum quid per unionem, quæ sit tribus modis 1<sup>o</sup>. ita ut ex duobus beneficiis fiat unum, ut post can. decimas 47. caus. XVI. Q. 1. Gratianus ex duobus Episcopatibus summum Pontificem posse unum facere, probat exemplo Gregorii magni, qui can. & temporis 48. ibidem. duos Episcopatus univit, & hæc est unio extinctiva & translativa, per quam privilegia uni Ecclesiæ data etiam competit alteri, nisi sint contraria. 2<sup>o</sup>. ita ut uni Ecclesiæ velut superiori altera Ecclesia uniatur & subjiciatur accessoriè, & hæc est unio accessoria & subjectiva, in qua inferior Ecclesia amittit nomen beneficii, quod per unionem est suppressum, & induit naturam ejus beneficii, cui est annexa, illius enim privilegiis fruitur arg. cap. recolentes 3. de statu Monach. omnia enim Jura tam temporalia quam spiritualia Ecclesiæ inferioris cum omnibus emolumentis transferuntur ad Ecclesiam superiorem, in Ecclesia tamen inferiori pondens est Vicarius cum portione congruâ, qui divina faciat cap. extirpanda 30. de præbend. §. qui verò. 3<sup>o</sup>. ita ut duæ Ecclesiæ suum titulum & honoris gradum cum omnibus suis Juribus retinentes æquè principaliter uniantur, ut idem sit rector utriusque Ecclesiæ. Unio sortitur effectum mediante possessione, undè si beneficium uniatur, antequam vacet,

non

non potest sortiri effectū, nisi ubi cœperit vacare beneficium, quā vacatione politā etiam ante fructuum perceptionem ex solā possessione effectum sortita fuit, de quo plures referuntur decisiones; circā uniones præterea statuit Tid. Sess. 7. cap. 6. de reform. ut à quadraginta annis citrā factæ possint examinari ab Episcopis velut sedis Apostolicæ delegatis & quæ per subreptionem vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarantur, quæ verò à minore tempore concessæ nondum effectum sortitæ sunt, vocatis vocandis, si non constiterit eas ex legitimis & rationabilibus causis esse factas, irritæ debeant haberi. cap. 7. præcipit beneficia curata Collegiis vel Monasteriis unita ab ordinario esse visitanda, & per idoneos vicarios cum assignatione congruae portionis esse administranda Sess. 14. de reform. cap. 9. prohibet, ne beneficia unius Diœcesis alterius Diœcesis beneficio aut Monasterio seu collegio vel loco etiam pio perpetuò uniantur Sess. 23. cap. 18. ordinat, ut Seminario clericorum in Diœcesi eriendo beneficia aliqua simplicia cujuscunque qualitatis & dignitatis fuerint, & etiam præstmonia vel præstmoniales portiones etiam ante vacationem sine cultū divini & illa obtinentium præjudicio uniantur & incorporuentur, licet sint beneficia reservata vel affecta, quam unionem resignationes nullæ impedire poterunt Sess. 24. de reform. cap. 13. prohibet, ne Ecclesiæ parochiales Monasteriis quibuscunque aut Abbatii seu dignitatibus sive præbendis Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatæ sive aliis beneficiis simplicibus aut Hospitalibus vel Militiis uniantur, ipsis verò tenuibus parochialibus succurri voluit per unionem beneficiorum simplicium, non tamen regularium, sicut etiam reliquit Episcopo potestatem uniendi Monasterio vel alteri loco religioso existenti intrà eandem Diœcesin

cessū beneficia simplicia, quia potestatem concessam in cap. consultationibus 4. de donat. lib. 3. tit. 24. & Clem. si una 2. de reb. Eccles. non alien. lib. 3. tit. 4. non restrinxit Concilium nisi quoad Ecclesiās parochiales. Eādem Sess. cap. 15. statuit concilium, ut in Ecclesiis cathedralibus & collegiatis insignibus, tenuibus & sustinendo Canonicorum gradui insufficientibus præbendis possint Episcopi aliquot beneficia simplicia non tamen regularia unire, quæ uniones nullatenus impediti valeant. Sess. 25. de reform. cap. 9. §. insuper. Prohibet, ne quæcunque beneficia libera cum Ecclesiis parochialibus vel aliis quibuscumque beneficiis, dignitatibus aut hospitalibus Juri patronatūs subjectis uniantur, uniones verò tales non sortitæ plenum effectum subreptitiæ censeantur, quæ verò à quadraginta annis circa plenum effectum sortitæ sunt, ab ordinariis rediuntur, & per subreptionem obtentæ irritæ declarantur, separanturque beneficia & aliis confariantur. Hæc de beneficiis, totâque, quæ in 2. 2. tractari solet, materiâ sufficienti; utinam, quæ conformiter Avngelicæ doctrinæ dicta sunt, cedant in Deiter optimi maximi gloriam, Virginis Deiparæ, S. Thomæ Aquinatis cunctorumque Cælitum honorem, atque legentium utilitatem, si quæ verò præter intentionem universalis Ecclesiæ, aut scholæ Thomistæ dogmatibus non respondeant, Orthodoxæ magistræ ac cuiuslibet melius sentientis correctio- ni sint subiecta.

F I N I S

L  
datem oceas  
onat. lib. 3. in.  
non alii. lib.  
i quoad lib.  
flatuit coni  
e collegiantur  
bonorum gra  
ne Episcop. ali.  
regularium in  
leant. Self. 1.  
er, ne quicun  
rochialibus vi  
tibus aut hol  
ancor, unio  
rectum lobus  
ginta annis c  
ordinarius n  
enia in ita  
& alii conf  
quz in 1. & in  
am, quz co  
linc, cedam  
Virginia Deip  
noque Calvi  
em, si que  
cleria, urba  
reponde  
cojus.  
cōm-

